
Francisci Turriani

DE HIERARCHICIS ORDINATIONIBVS MINISTRORVM ECCLESIAE CATHOLICAE, ADVERSVS schismaticas vocationes Ministrorum & Superintendentium, ex Scripturis sanctis, ad Catholicos, libri duo antehac nunquàm editi.

HABES HIC BENIGNE LECTOR VARIam & reconditam eruditionem, ex antiquissimis Patrum tum Græcorum, tum Latinorum monumentis erutam: habes & solidam ex Propheticis & Apostolicis literis demonstrationem, Ecclesiæ Lutheranæ & Caluinianæ Ministris concedi non posse, quam ipsi sumunt sibi, in Ecclesiasticis munijs auctoritatem. Lege, qui venerandam & veritatem & antiquitatem amas: legisse nunquàm pœnitebit.

Accessit index capitum quæ ordine proponuntur, tum locorum scripturæ hic explicatorum, & rerum toto opere comprehensarum.



Cum gratia & Priuilegio Cæs. Maiestatis.

DILINGAE
EXCVDEBAT SEBALDVS MAYER.
ANNO M. D. LXIX.

AD BENEVOLVM ET Christianum Lectorem.



VM IN MANVS nostras hic liber scriptus venisset, & nunquam antea typis fuisset excusus, sic nobis à doctis est commendatus, vt non modò lectione, sed etiam editione laudeq; publica dignus existimaretur. Nā & auctor est perquàm eruditus, nec solùm in Latinis, sed etiam Græcis Patribus probè versatus, & qui libris alijs iam antè in lucem editis nomen sibi celebre comparauit. Certè prę ter multiiugam doctrinam, quam passim ostendit, singulari iudicij acrimonia pollet, tum zelum eximio Theologo dignum suis scriptis admiscet, non parum sanè fœlix in communi Ecclesiæ causa aduersus hostes veritatis & illustranda, & propugnanda. Iam verò tale huius operis est argumentum, quod ritè cognitum, vim adfert maximam ad Christianum animum in syncera fide stabiliendum: quod rursus ignoratum, ingentes difficultates & perpetuos sæpè angores relinquit homini, qui


nondum certò statuit secum, vbi sit vera Ecclesia, qui magistri & ministri eius proprij, à quibus Dei verbum accipiendum, & sacramenta petenda, per quos etiam, veluti Vicarios legatosque suos, nobiscum agat Deus, vt qui procul dubio cùm in rebus omnibus, tum in Ecclesia sua ordinem vult constare decentissimum firmissimumque. Nec vllus error hodie perniciosior, nulla corruptela tam exitialis in Europa grassatur, vt multi nobiscum sentiunt, quàm quòd potestatem homines sibi liberam faciant, quosuis nouae religionis duces & ministros deligendi, audiendi, sequendi, quorum nunc magisterio & ministerio veluti legitimo fidunt, ac vnicè adhaerendum putant. Vbi non expendunt miseri (quod huius infelicitatis est caput) qui verae sint Ecclesiae ministri ritè à Deo vocati & missi, vt per ostium ad oues ingrediantur, quae sint etiam legitimae pastorum & doctorum vocationes, & quibus demùm notis veri falsique prophetae in Ecclesia discernantur. Certè nulla fuit aetas tot seculis, quae vno eodemque tempore maiorem prouentum praebuerit sectariorum, qui nouas constituant Ecclesias, nouas erigant cathedras, & ordinationes passim Ecclesiasticas nouas pro arbitrio suo figãt atque refigant. Nã
inter

inter se maximas etiam isti simultates alunt, & irreconciliabiles pugnas cōtinenter exercent, vt alij cum alijs in ministerio, doctrina, rituumq; disciplina cōuenire minimè possint, sed alij alios pro hæreticis habeant atq; detestentur. Quarè non potest huius operis non ingēs vsus & fructus esse, cùm pastores à lupis, veros doctores & ministros à falsis, Episcopos à Superintendentibus, quos nominant, præclarè discernat, & eorum omnium vocationes & ordinationes ad inflexibilem amussim, certamq; normam Propheticæ & Euangelicæ doctrinæ, Apostolicæq; traditionis reuocet ac expendat. Nec vllum hodie comperimus auctorem, qui de re tanti momenti & scitu nunc vtilissima, tum copiosius, tum diligentius, exactiusq; tractarit, & certius conuicerit, istos cum Dei verbo & Patrum auctoritate pugnare, qui vel nouas Ecclesias ipsi nunc erigunt, vel antiquas à Catholicis vi abreptas occupāt, & in ijs nouos instituunt seruantq; cultus, nouas adhibent & sequūtur cærimonias, nouoq; modo pro sua vel sectæ suæ libidine diuinum celebrant cultum, & sacramenta non minus profanant quàm administrant. Quò gratius debet esse Lectori, quòd hic videt veteris & nouitiæ ministros Ecclesiæ viuis, quod

aiunt, depingi colorib. & inter se pulchrè conferri. Vnde certò intelliget tandē, quisquis est veritatis amans, ius Euangelicum, Apostolicum & Ecclesiasticum ab istis impudenter & sacrilegè violari, qui perinde ac Core, Dathan, Abiron, Oza & Ozias, in Ecclesias & Ecclesiasticas functiones irrumpunt, vel duntaxat à politicis magistratib. & laicis missi, seu à Superintendentibus, quos vocant, commendati, nouæ religionis siue antistites, siue administri esse cōtendunt, cùm nullū interim habeant aut edere possint diuinū euidensq; signum ac testimoniū, cuiusmodi semper in Ecclesia fuit, diuinæ, legitimæ & hierarchicæ ordinationis. Adiungendus erat his duobus libris tertius, qui de demonstratione sacerdotalis sacrificij Missæ inscribitur, & alicubi ab eodē auctore citatur. Sed visum est quibusdā consultius fore, vt hoc argumentū, quod nō æquè cum prioribus libris congruit, alij & proprio quidem magisq; cōmodo, quod aliâs, si dominus voluerit, edetur, operi reseruaretur. Bene vale in Christo Lector, & hos libros etiam atq; etiam tibi commendatos habe, vt rectius de sacris iudicare, & contra nouatores, veteris Ecclesiæ institutum, ordinem & iura certius cognoscere simul & vindicare possis.

INDI-

INDICES SIVE SVMMARIA CAPITVM PRIMI libri.



CAPVT I.

ritas

tur.

tò

INDI-

INDICES, SIVE SVMMARIA CAPITVM LIBRI SECUNDI.

CAPVT I.



DE HIERARCHICIS ORDINAtionibus ex prophetico sermone. Et explicatio illius loci epist. Petri: Habemus firmiorem propheticum sermonem. Locus Isaiæ cap. 61. de sacerdotibus & ministris noui testaměti secundùm sensum historicum, collato Euangelio, explicatus à principio capitis: Spiritus Domini super me, & quæ sequuntur. Quæ Dominus in Euangelio ex hoc loco Isaiæ recitauit, quæ suo sacerdotio est Christus operatus. fol. 85.

CAP. II. Continuatio interpretationis prophetiæ de tempore gratiæ, vbi de ministris noui Testamenti secundùm literam continetur. Quomodo qui hanc partem loci prophetici de ministris Ecclesiæ, hierarchicè ordinatis, neget, Euangelium cum eo collatum, necessariò neget. Quomodo qui sacerdotes & ministros Ecclesiæ à populo, vel à magistratu vocari faciunt, alieni sint ab hac Isaiæ propheda, & cum ea, & cum Euangelio pugnent. fol. 89.

CAP. III. De ratione sacerdotij communis & improprij siue ex baptismo, ad demonstrandum, quòd sacerdotes noui Testamenti, de quibus Isaias prophetat, non possint intelligi sacerdotes ex baptismo, sed ex sacramento ordinationis hierarchicæ. Et quomodo non possit existere hoc sacerdotium commune, sine speciali sacerdotio ex ordinatione hierarchica. Item de sacerdotio communi in lege vetere,


cundùm Pauli Apoſtoli doctrinam. Quomodo vocationes miniſtrorum Eccleſiæ catholicæ, vno modo ab Apoſtolis tradito, vbique fiant in Eccleſijs Orientis, & Aegypti atque Africæ, & in cuncto Occidente, ſine auctoritate populi, aut magiſtratus. Quomodo Iſaias prophetarit, à quo eſſent vocandi, & quo iure, & quomodo, & ad quodnam miniſterium. fol. 107.

CAP. IX Quomodo ad prædicationem verbi, & ſacramentorum diſpenſationem vocentur ſacerdotes noui Teſtamenti ſecundùm prophetiam Iſaiæ. Et de notis & ſignis propheticis, ad internoſcendum Catholicos à non Catholicis. Et quomodo ſi Lutherani inter Turcas viuerent, non agnoſcerent eos pro Chriſtianis Turcæ, propter mutationem cultus: ex quo fit, vt ſit ſemen adulterum, & non ſemen quod ſciatur inter gentes, ſecundùm propheticum ſermonem. Item de maledicentia hæreticorum, & blaſphemijs diabolicis. Et quomodo liceat Catholicis vituperare hæreticos exemplo ſanctorum, vt vel ſic confundantur. Et quòd hæreticos catholicis maledicere, ſit perinde vt dæmones maledicere angelis. Quòd nullum genus hominum peius oderint Turcæ quàm Lutheranos, propter mutationem religionis. Et quòd Lutheranis exprobari poſſit, quod Ieremias Iudæis de mutatione cultus præter morem aliarum gentium. Deinde de contentionibus hæreticorum. fol. 109.

CAP. X. Explicatio loci Iſaiæ Cap. 1. Reſtituam iudices tuos, ſicut fuerunt prius: & conſiliarios tuos ſicut antiquitus, repetito altius principio. Quomodo hic expreſſè Iſaias, præpoſitos Eccleſiarum à Deo, non per ſuffragium humanum, vocandos eſſe prophetauerit. Et quomodo cauillatio Caluini prophetico ſermone redarguatur. Et quòd Iudaicum ſit, auctore beato Hieronymo, dicere, promitti hic ab Iſaia poſt captiuitatē Babylonicam, Zorobabelem, Eſdram, Neemiam, & ſi qui alij: neq;

Fran-

Francisci Turriani,
DE HIERARCHICIS ORDINATIONIBVS MINISTRORVM ECCLESIAE CATHOLICAE aduersus schismaticas vocationes ministrorum ac Superintendentium.



LIBER PRIMVS.



VONIAM AVCTORITATEM *anathematismorū, quos nuper sancta synodus Tridentina in doctrina de sacramēto* Ordinis *sess.* XXIII. *ex scripturis sanctis & diuinis traditionibus depromptos, tanquam gladios igneos, aduersus Lutheri & Caluini discipulos & alumnos distrinxit, non solùm ab illis non curari, sed eis ludibrio & despectui esse audiebam: uenit mihi in mentem, pro defensione eorum de diuinis & hierarchicis ordinationibus sacerdotum & ministrorum Ecclesiæ nostræ scribere, & ueritatem Catholicæ disciplinæ, auctoritate scripturarum, ac diuinarum traditionum astringere, ut sicut Iudas Apostolus* * *præcepit,* * Iudæ 1.

A super-

superædificantes nosmetipsos sanctißimæ nostræ fidei in Spiritu sancto, hos quidem arguamus iudicatos, illos uerò saluemus in timore, de igne anathematis rapientes. Accesßit ad incitandum propositum meum suasio cuiusdam amici mei ualdè pij, & eruditi, cuius nomē taceo, ne apud eos, ad quos hi libri mei proficiscentur, & aduersus quos scribimus, inuidiosius faciam. Satis est, si ipse intelligat de se dici, ut qui fuit mihi suasor ad scribendum, sit idem adiutor ad proficiendum. Id autem fiet, si quod ego scripsi, ipse si probauerit, alijs concionando tradat. Ergo, ut quod propositum est aggrediar, prius locos noui Testamenti excutiemus, ut ex illis ordinationes ministrorum Ecclesiæ nostræ Catholicæ proferamus, Lutheranas uerò & Caluinianas uocationes, profanas & sacrilegas esse clarissimè demonstremus, idem posteà proximo uolumine ex Prophetico sermone facturi.

Quomo-

Quomodo intelligendum sit, quod Dominus dixit sanctis Apostolis: Sicut me misit Pater, & ego mitto uos. Et quomodo ex eo elicitur, potestatem hierarchicè ordinandi ministros Ecclesiæ, in Episcopis Apostolorum successoribus, & nullo modo in laicis esse.

CAPVT I.

ORdiamur ergo ab eo loco, cuius vis ita latè patet, vt omnia penè Christi mysteria, quæ in terris operatus est, complectatur: Sicut, inquit,* misit me pater, & ego mitto vos. Scilicet missus erat à patre, vt doceret mundum veritatem: &, sicut Apostolus ait, * vt dissolueret opera diaboli, & peccatores Deo reconciliaret. Denique missus erat ad ea omnia, quæ Esaias prædixit, cùm ait.* Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, et prędicarem captiuis indulgentiam, et clausis apertionem, vt prædicarem annum Domini acceptum, & diem vltionis Deo nostro, & ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu. De his ergo omnibus, ad quæ missum se à patre per Prophetam dixit, discipulos suos admonuit, cùm ait: * Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Ac ne dubitarent, se quoque mitti ad annunciandum remissionem captiuis, sicut Dominus de se dixerat, & apertionem clausis, & lætitiam lugentibus, & cætera, quæ promittebat, dicturus hoc: Sicut misit me pater, & ego mitto vos; ianuis clausis ingressus est ad eos. Et gauisi sunt, inquit * deditque eis Spiritum sanctum, subiungens: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Quæ quidem

* Ioan. 20.
* 1. Ioan. 3.
* Esai. 61.
* Ioan. 20.
* Ibid.

dem eſt poteſtas iudicandi hierarchica, qua vtendū eſt Epiſcopis οὐκ αὐτοκινήτως οὐδ᾽ ἀλόγως, vt ait diuinus Dionyſius, id eſt, non pro ſua libidine, neque ſine ratione, ſed ſecundùm DEI nutum: immò non ſolùm hac poteſtate ſic vtendum eſt, ſed cætera (inquit) omni poteſtate hierarchica, vt conſecrandi, et prophetandi, atq; ordinandi. Hoc enim Dominus admonere voluit, magno Dionyſio interprete, cùm

*Ioan. 20. dixit prius: * Accipite Spiritum ſanctum, Spiritum dicit τὸ τελεταρχικὸν, vt idem Dionyſius vocat, id eſt, auctorem & præſidem Sacramentorum. Quarè oportet, ait, illos audire, qui hunc ſcilicet Spiritum acceperunt, tanquam à Deo excitatos. Qui. n.

*Luc. 10. inquit Dominus, * vos ſpernit, me ſpernit: nam

*Ioan 20. hic quoq; verum eſt, quod Dominus dixit: * Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Scilicet ſic miſit eum pater, vt qui miſſum non audiret, tanquam contemptor mittentis patris vlciſcendus eſſet, ſicut per

*Deut. 15. » Moſen dixit Deus in Deuter. * Prophetam ſuſcita-
» bo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & po-
» nā verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia,
» quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ lo-
» quetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor
» exiſtam. Igitur ſi ſic miſit Apoſtolos, vt ipſe miſſus eſt, conſequens eſt, vt qui non audit miſſos, hoc eſt, Apoſtolos, neq; audiat mittentem Dominum; ac rurſus, qui audit Apoſtolos, audiat Dominum. Si-

*Heb. 3. cut qui audit Chriſtum Apoſtolum confeſſionis noſtræ, vt Paulus vocat, * id eſt, miſſum à patre, vt eum confiteamur, conſequens eſt, vt audiat ipſum Deum patrem, qui miſit.

*Ioan. 20. Item, Sicut, inquit, * miſit me pater, & ego mitto vos;

vos:at sic misit eum pater, vt vsque ad consumatio-
nem seculi nobiscum maneret, sicut ipse dixit:* Ego *Matth. 28.
vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consumati-
onem seculi. Igitur & Apostoli sic quoque missi sunt
ad nos, vt nobiscum perpetuò vsque ad consumatio-
nem seculi manerent. At hoc fieri non poterat, quia
morte prohiberentur permanere, sicut Apostolus
* de Sacerdotibus Leuiticis dixit. Igitur necesse est * Heb.7.
fieri hoc per successores: alioqui quomodo implere-
tur illud, Sicut misit me pater, & ego mitto vos, si A-
postolica potestas extincta & intermortua est?
Quomodo inquã, impletur hoc, * Sicut misit me pa- *Ioan. 20.
ter, & ego mitto vos, si Spiritus sanctus, qui erat su-
per eum qui missus est, manet in eo semper, & non
manet idem Spiritus semper secundùm communi-
cationem in missis ab eo per successionem? Quod si
euidens est & necessariũ secundùm verbũ Dei, per-
manere semper nobiscum vsque ad consumationem
seculi successores Apostolorum, & ij Spiritum san-
ctum πλεταρχικὸν accipiunt, igitur præter alias hie-
rarchicas potestates habent quoque potestatem τοῦ
χειροτονεῖν id est, ordinandi & mittendi. Dicam ad-
huc apertius: Si Dominus IESVS missus est à Deo
patre cum potestate mittendi Apostolos ad opera
hierarchica, & sicut missus est ipse, sic mittit Aposto-
los, mittit ergo illos cum potestate mittendi etiam
alios ad opera hierarchica, qui sunt eorum succesſo-
res.

Nõ igitur magistratus, aut laici mittere alios pos-
sunt ad aliquid hierarchicum, cuiusmodi est, mini-
sterium verbi Dei, & Sacramentorum. Quare vbi
populus aut magistratus ad ministerium verbi &

 sacra-

ſacramentorum vocat, ibi ex laicis fiunt Apoſtoli, quaſi magiſtratibus populi, aut reliquis ſecularibus loquutus ſit Dominus in Apoſtolis, cùm dixit,* Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. quo nihil abſurdius, neq; ſtultius, neq; magis cæcum. Quòd ſi non eſt illis tunc loquutus, ergo magiſtratus non ſunt ab eo miſsi ad opera hierarchica, ſed potius, ſicut princeps Apoſtolorum ait,* miſsi ſunt ad vindictam maleſactorum, laudem verò bonorum: multò verò minus miſsi ſunt reliqui laici. Quòd ſi non ſunt miſsi ad aliquid hierarchicũ, ergo neq; alios mittere poſſunt: non enim mittere poteſt, qui non eſt miſſus, ſiquidem ſic miſit Dominus Apoſtolos, & in Apoſtolis ſucceſſores eorum, ſicut ipſe à patre miſſus eſt, licet non ſit æqualis vtraq; miſsio: ille enim miſſus eſt, κατὰ τὸ ὁμοούσιον καὶ ὁμότιμον: Apoſtoli verò miſsi vt ſerui & diſcipuli. Iámne vident, iámne ſentiunt cæcitatem & amentiam ſuam ſectarij? Quid enim magis cæcum & amentius dici, aut cogitari poteſt, quàm politiam ſecularem & Eccleſiaſticam in vnũ confundere? Quid monſtri ſimilius, quàm caudas pro capitibus habere? (cauda enim eſt populus, ſicut Clemens ait) neq; id ſolùm, ſed ex caudis capita naſci, & ex capitibus rurſus caudas renaſci? Sed demõſtremus adhuc magis dogmatis noſtri de diuinis & hierarchicis ordinationibus veritatem, quò error iſtorum magis redarguatur, ita vt ſimul de veritate, & pro veritate diſſeratur, quorum alterum falſa cõfutando, alterum vera docendo efficitur. Neq; enim ſatis eſt, vt diuinus Dionyſius ad Dorotheum ſcripſit, falſa refellere, ſed ita refellere, vt ſimul de veritate ea, quæ refelli non poſsint, dicamus.

* Ioan. 20.

* 1. Pet. 2.

Quomodo

Quomodo dederit Dominus sanctis Apostolis primitias Spiritus sancti, primitias dico gratiæ prædicandi uerbum Dei, baptizandi, consecrandi atq; ordinandi, & eorum successoribus: & quæ sit natura primitiarum, iuxta sacras literas. Et de quæstione Caluini, cur non imitetur Episcopus Dominum, cùm dixit: Lazare ueni foras: sicut imitatur, cùm dicit ei, quem ordinat, Accipe Spiritum sanctum.

CAPVT II.

AC quoniam de diuinis ordinationibus agitur, nihil accommodatius ad hanc tractationem esse potest, quàm eum locum Euangelij à me tractari cœptũ, adhuc retractare & amplius vrgere, in quo Dominus ministros suos ad sacras ordinationes, & ad cætera ferè hierarchica misit, vt plenius intelligamus, quomodo & qua præditos potestate miserit, & qui eis succedant, & quatenus, & in quod vsque tempus. Ergo cùm ait Apostolis: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos, illud quoque in mentem veniat, admonuisse tunc Apostolos, & nos modò, missum se à patre primitias generis humani. Quod enim fit in agris, vt ait beatus Chrysostomus in homilia de Ascensione Domini, cùm quis paucis spicis consecratis, totum agrum benedicit, hoc (inquit) Christus fecit, vt totũ genus nostrum per carnem eius, tanquam per primitias benediceretur. Deinde explicans, quæ ratio & qualitas eiusmodi primitiarum esset, subiungit: Sed non sunt primitiæ, si quis Deo primum fructum offerat & dedicet, cùm sit tenuis & infirmus, vt esse solet primus fructus terræ, sed si maturum & perfectum. Quod quidem ex lege ait intelligi posse, cùm ait: *Si ingredieris terram, quam dabit tibi Dominus, & plan-

*Ioan. 20.
*Leuit. 19.

» taueris in ea lignum ad edendum, mundabis im-
» munditiam eius: tribus annis fructus eius erit im-
» mundus, non comedetur, quarto autem anno omnis
» fructus eius sanctus erit Domino. Tribus annis iubebat lex fructibus parcere, quia erant arbores infirmæ, ac fructus tenuis: neque permittebat lex edere ex eis illo triennio, ne priusquam primitiæ Deo libarentur, homo gustaret. Neque rursus permittebat offerre, quia erat fructus ille Deo indignus. Sic igitur (inquit Chrysostomus) nō primus Adam oblatus est tanquam primitiæ, vt in primitijs illis, & propter offerentis, & propter oblati dignitatem Deo acceptissimis, naturæ illi, cui dictum fuerat in Adam: *Terra es, & in terrā ibis, postea diceretur, * Sede ad dexteram meam: Hactenus Chrysostomus.

*Gen. 3.
*Psal. 109.

Christus igitur fuit delibatio sancta, sicut Apostolus ait, *in qua sanctificata est massa: & pro eis (inquit) *ego sanctifico me, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Tota enim natura humana in Christo tanquam in primitijs per crucem sanctificata est. Vt igitur Christus missus est, vt esset primitiæ sanctificatorum, sic Apostolis suis, quos misit, quatenus capere potuerunt, dedit primitias Spiritus sancti, sicut Apostolus ait: * Nos autem primitias Spiritus habentes, & quæ sequuntur. Est autem hæc lex & natura primitiarum, vt illas participent, quicunque ab eo, qui illas ipsas primitias accepit, & acceptas non amisit, tanquam à parente descendunt. Exempli causa, in coniugio primi parentis Adæ, vnitatem duorum inseparabilem sortito, tanquā in primitijs, cæterorum omne cōiugium ab eo descendentium factum est inseparabile, & indiuiduum

*Rom. 11.
*Ioan. 17.
*Rom. 8.

uiduum. In Adam .n. capite coniugum, ſicut ait Aſterius Epiſcopus Amaſææ vetuſtiſsimus auctor in homilia contra paſſim dimittentes vxores, dictũ eſt cęteris coniugibus, Hoc nunc *os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, & quæ ſequuntur, quæ τὸ ἀῤραγὲς καὶ τὸ ἓν coniugÿ, vt veteres patres tradunt, ſignificant. Item ſi Adam primitias iuſtitiæ originalis non amiſiſſet, cæteri ex eo oriundi illas participaſſent. Similiter Abraam * tanq̃ origo & princeps gentis Hebræorum, decimas ſoluit Melchiſedech: idcirco in illius decimatione, tanquam in primitÿs, facta eſt cęterorum ab eo deſcendentium decimatio. *Gen. 2. *Gen. 14.

Ad eundem modum facti ſunt Apoſtoli à Chriſto Domino noſtro patres noſtri, & ſacri principes, iuxta prophetiam Dauid, cùm ait. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filÿ, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Idcirco quod illis dixit, * Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, & quæ ſequuntur, tanquam ÿs, quibus primitias huius gratiæ, prædicandi verbum Dei & baptizandi, dabat, qua opus erat uſq; ad conſummationẽ ſeculi. Hoc inquam in illis tanquam in primitÿs, cęteris omnibus eorum in poteſtate docendi & baptizandi ſucceſſoribus, id eſt, ſacerdotibus, dixit. Rurſus, quod dictum eſt eiſdem Apoſtolis: * Hoc facite in meam commemorationem, qui primitias poteſtatis ſacerdotalis ad conficiendum myſterium Euchariſtiæ accipiebant, quo opus erat in Eccleſia vſq; ad conſummationem ſeculi; hoc ipſum in illis, tanq̃ in primitÿs huius poteſtatis ſacerdotalis, dictum eſt, cęteris in eadem poteſtate perpe- *Pſal. 44. *Matth. 28. *Luc. 22.

tuò ſucceſſuris. Item quod dictum eſt Apoſtolis:
*Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorũ remiſeritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt, quia hoc dixit illis, quibus tanquam primis Iudicibus dabat primitias huius ſacri iudicij neceſſarij in Eccleſia vſque ad conſummationẽ ſeculi, qui morte prohibebantur ſemper permanere. Idcirco hoc ipſum in illis tanquam in primitijs dixit alijs in eadem poteſtate vſque ad finem ſeculi ſucceſſuris.

Satis hæc, quę diximus, vel ipſę formulæ myſticarum ordinationum, quæ hodie in Eccleſia catholica hierarchicè fiunt, docere poſſunt, ſi quis eas attendat. Cùm enim ordinatur Epiſcopus, is qui eum ordinat, Chriſtum, qui Apoſtolis dixit: *Euntes docete omnes gentes, imitatur, cùm ait: Vade, prædica populo tibi commiſſo, quod quidem tanquam à Domino Chriſto excitatus dicit, ita vt qui hunc audit, Dominum audiat dicentem ore Epiſcopi ordinantis: I, doce populum tibi commiſſum, quod ipſum per ſe, ac nullo medio ipſis Apoſtolis tanquam primis dixerat. Item, Epiſcopus cùm presbyterum ordinat, Chriſtũ, qui Apoſtolis dixit: *Hoc facite in commemorationem meam, imitatur, cùm ait: Accipe poteſtatem offerendi &c. Ac rurſus Chriſtum, qui dixit primùm eiſdẽ Apoſtolis: *Accipite Spiritum ſanctum, imitatur, cùm ait: Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata &c.

*Matth. 28.

*Luc. 22.

*Ioan. 20.

Sed quærit hic Caluinus, Sicut Epiſcopus in ordinatione presbyteri imitatur Chriſtum, cùm ait: Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris &c. Similiter vt Chriſtus dixit, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, cur item non imitatur

*Ioan. 20.

Chriſtum,

Christum, qui dixit,* Lazare veni foras, & non si- *Ioan. 11.
militer suscitat? Hac quæstione, quæ illi visa est ἄφυκτος, est autem puerilis potius, voluit falsus magister hierarchicas ordinationes à Deo traditas, & summa religione vt ad salutem necessarias, in Ecclesia catholica semper custoditas, refellere. Sed cur in illis superioribus formulis mysticis hierarchicæ ordinationis Christum imitetur Episcopus, iam explicata ratio est, ex qua simul intelligitur, cur non imitetur Christum dicendo,* Lazare veni foras, & *Ioan. 11.
suscitando, similiter atque ille dixit & fecit. Scilicet quia illud, Lazare veni foras non dixit Dominus Lazaro tanquam principi nostro, cui daret primitias suscitandi alios, & cui successuri essent, qui alios similiter suscitarent: neque necessaria erat in Ecclesia eiusmodi potestas suscitandi hierarchicè secundùm carnem, vt quidem necessaria erat potestas suscitandi hierarchicè à morte spirituali.

Quomodo in eo, quod dixit Dominus Apostolis: Sicut misit me Pater & ego mitto uos; contineatur mysterium hierarchici principatus Petri, & successorum eius, qui sunt Episcopi Romani, & qui sunt propinquiores successores Apostolorum; & quomodo intelligendum sit, fuisse Apostolos pari consortio honoris & dignitatis, ut esset tamen inter ipsos quædam discretio potestatis. Quomodo item intelligendum, cœpisse à B. Petro Apostolatus & Episcopatus exordium; & de epistola Clementis ad Iacobum fratrem Domini, & quid in ea iniquè & insicienter calumnientur Magdeburgenses. Et quomodo si beatus Petrus primitias hierarchicæ potestatis dandi Spiritum sanctum quas acceperat, Simoni Mago uendidisset, ut fuerat diaboli consilium

& machinatio, omnes Apostoli, ut Clemens significauit, illud donum dandi Spiritum sanctum amisissent.

CAPVT III.

* Ioan. 20. SEd reuertamur ad illud, * Sicut misit me pater, & ego mitto vos: in quo quidem mysterium hierarchici principatus, & ἡγεμονίας vnius Apostoli Petri, & successoris perpetui continetur. Sicut enim pater misit Christum suum in mundũ, ita vt ad eum tota hierarchia Ecclesiæ suæ Catholicæ, sicut diuinus Dionysius ait, referenda esset: sic quoque voluit, vt ipsa etiam hierarchia, siue hierarchicus ordo Apostolorum ad suum item principem & hierarcham tanquam ad caput spectaret, qui fuit beatus Petrus princeps Apostolorum; ac proinde vt propinquiores successores Apostolorum, qui sunt Patriarchæ siue Primates, deinde Archiepiscopi siue Metropolitani & infra eos Episcopi, spectarent ad illius principis Apostolorum successorem, qui est Pontifex Romanus. De huiusmodi verò propinquioribus successoribus Apostolorum idem quoq; Dionysius in Epistola ad Demophilum meminit, cùm ait: Diaconis quidem præscribere presbyteros, presbyteris Episcopos, Episcopis Apostolos & Apostolorum successores, Patriarchas scilicet, siue Primates, deinde Archiepiscopos, siue Metropolitanos. Id quod ex ipsorum Apostolorum Canone xxxiiij. cuius Pontifex Anacletus meminit, & quem Calixtus primus in Epist. ij. sequitur & interpretatur, perspicuè intelligitur. Iubet enim, vt Episcopi cuiuscunque nationis, primùm agnoscant & eum habeant loco capitis. Is autem

aut

aut Metropolitanus, aut Primas sit necesse est, ad quem de omnibus, quæ communia sunt, quæ propriè ad Ecclesiam Episcopi priuatam non pertineant, secundùm canonem referendum sit. Postquam enim diuisæ sunt Diœceses, Archiepiscopi vel Primates sunt capita suorũ diœcesanorum, id est, Episcoporum suæ diœceseos, salua in omnibus Apostolicæ sedis dignitate. Apostoli verò duodecim & Paulus, omnium totius mundi Episcoporum principes erant.

Atq; hac quidem ratione omnes Apostoli pari consortio honoris & dignitatis erant, vt sanctus Anacletus, beatus martyr Cyprianus, & magnus Athanasius, atque alij deinceps magni auctores in libris suis atq; epistolis scripserunt. Sic tamen primi erant, id est, eorum quisq; primus aliorum omnium Episcoporũ, vt esset tamen inter ipsos illos Apostolos, vt idem S. Anacletus ait, quędam discretio potestatis. Quod perinde est, quasi diceret, erant quidem omnes primi cæterorum omnium Episcoporum, qui in Ecclesia catholica erant, sed ita primi, vt essent tamen sub vno primo & capite, id est, sub Petro Ecclesiæ catholicæ petra & fundamento. Ita fiebat, vt illa Apostolorum potestas in illa honoris & dignitatis supra cæteros omnes mundi Episcopos æqualitate non esset confusa, sed discreta & ordinata, quia scilicet ad vnum caput & vnum principem, id est, Petrum, referebatur.

Hinc quoq; intelligi potest, quemadmodum accipiendum sit, quod à pluribus & antiquis & sanctis Pontificibus scriptum est, à beato Petro Apostolatus & Episcopatus in Christo exordium cœpisse, *Innoc. 1. ep. 2* *Syrit. ep. 4.* *Fœlix. 2. ep. 1.* *Greg. ep. 6.* *Greg. 4. ep. 4.*

cùm tamen beatus Petrus neq; prius vocatus fuerit ad Apoſtolatum, neq; prius Epiſcopus ordinatus. Omnes enim in die Pentecoſtes Epiſcopali quadam dignitate ſunt inſigniti, vt diuinus Dionyſius ab ipſis ſanctis Apoſtolis eruditus, in Eccleſiaſtica hierarchia ſcribit, & beatus Hieronymus in dialogo cōtra Luciferianos, & multi alij, ne omnes enumerem. Tunc enim acceperunt poteſtatem dandi Spiritum ſanctum per impoſitionē manuum, ſicut dictum erat illis, *vt ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed exſpectarent promiſsionem patris, de induenda ſcilicet virtute ex alto, id eſt, virtute ſuperuenientis Spiritus ſancti. Cœpit igitur exordium Apoſtolatus & Epiſcopatus à beato Petro tanquam à capite, ſcilicet ad quod cæterorum Apoſtolatus & Epiſcopatus referebatur, & à quo manabat cura analogiæ vel conuenientiæ ſanctæ, ac colligationis omnium cōcinnæ & aptæ communionis, ſecundùm menſurā ac decorum vniuſcuiuſque partis hierarchicæ, ita vt ſublato illo capite, reliquus chorus atque ordo Apoſtolorum & Epiſcoporum non amplius eſſet hierarchicus & hierarchicè colligatus, ſed diſſolutus; neq; teneret Chriſtum caput, ex quo totum corpus connexum & compactum per omnes iuncturas & coniunctiones, id eſt, per omnem colligationem & communionem primi cum medijs, & mediorum cum vltimis ſecundùm analogiam vel conuenientiam & regulam vniuſcuiuſq; partis hierarchicæ creſcit in augmentum ſui. Tolle caput proprium huius corporis, non fiet amplius ab ipſo ſupramundano & cœleſti capite ſubminiſtratio Spiritus.

* Luc. 24. Actor. 1.

Huc

Huc pertinet, quod de beato Petro scripsit Clemens Romanus in epistola ad Iacobum fratrem Domini, id est, ad omnes Episcopos, quos nomine illius, quem pridem interfectũ esse sciebat, alioqui non mortuum, sed Deo viuentem, artificio diuinæ sapientiæ significare voluit, qui fuit (inquit) primitiæ electionis Domini. Quod quidem Illyricus & reliqui Centuriones Magdeburgenses quia non intelligunt, tanquam ab historica veritate alienum, vt ipsi in secunda Centuria c. vij. aiunt, calumniantur: quia Andreas (inquiunt) prius ad Christum venit. Facilè verò intelligerent, si, quod statim sequitur, aduerterent, aut non malitiosè, more suo dissimularent. Subiunxit enim Clemens interpretandi gratia, Apostolorum primus, vt hæc iam in Petro ratio primitiarum electionis Domini intelligatur, quod eum scilicet constituit Dominus primum, non quidem numero, vt hæretici cauillantur, sed dignitate. Primum enim numero, vt quidam auctor eruditus de principatu Pontificis aduersus Græcos suæ gentis homines ante seculi nostri memoriam disserens, rectè scripsit, non est re primùm, sed voluntate numerantis, qui secundum aut tertium pro primo potest, si velit, numerare. Intelligebat præterea hoc callidus Diabolus, qui, vt idem Clemens Rom. (ne sine auctore, & quidem Apostolico loquar) in vi. lib. const. Apost. scripsit, induit se in Simonem Magum, eumq́; fecit prauæ suæ volũtatis administrum, qui cùm vidisset, quòd per impositionem manus Apostolorum dabatur Spiritus sanctus, obtulit eis, Petro scilicet & Ioanni, pecuniam, dicens: * Date & mihi hanc potestatem, vt cuicunq; imposuero manus,

Georgius Trapezuntius.

* Actor. 8.

nus, accipiat Spiritum sanctum. Subiungit autem idem Clemens in persona Apostolorum: Volebat scilicet Diabolus, vt Adam promissione immortalitatis per esum ligni priuauerat, sic nos Apostolos pecunia delinitos & captos, dono Dei priuare, si hac permutatione facta, donum Spiritus sancti, quod omnem æstimationem superat, nummis illi addiceremus. Hactenus Clemens.

Hæc erat diaboli cogitatio, quam sancti Apostoli non ignorarunt. An verò ita euenisset, si permutatio illa facta esset, Clemens non tradit. Sed cur Clemens, quod diabolus Apostolis machinabatur, cum eo comparasset, quod in Adam effecerat? Cur inquam? nisi quia sicut Adam princeps & caput generis humani, primitias iustitiæ originalis accepit, quas pro peccato vendidit, & quas nos in eo amisimus: sic beatus Petrus Catholicæ & Apostolicæ hierarchiæ caput, primitias hierarchicæ potestatis dandi Spiritum sanctum accepit, vt cui præcipuè datus est Pontificatus: quas si vēderet, cogitabat diabolus, quòd omnes Apostoli donum illud Spiritus sancti, quod hierarchicè tribuebant, amitterent: ita vt sublato capite, per doni illius vēditionem reliqua compages & cōnexio hierarchica dissolueretur, nullam iam deinceps Spiritus sancti subministrationem à supercælesti capite in augmentum sui recipiens. Diabolus ergo credidit & timuit, quòd Petrus esset caput Apostolorum, & petra Ecclesiæ superædificatæ, cui dictum erat, Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et erunt aduersarij diabolo duriores & peruicaciores, vt negent & non timeāt, quod ille, qui eos decipit, credidit & timuit?

Sed

Sed quomodo, vt iam ad refellendas hæreticorum vocationes hæc accommodemus, quomodo inquam, laici ad ministerium verbi & Sacramentorũ alios mittant, cùm non solùm non sint successores Apostolorum, vt possint hoc facere, quod est Episcoporum, sed neq; sint pars corporis hierarchici, vt quibus nunquam facta fuerit hierarchicè per coniũctionem capitis, quo carent, subministratio Spiritus in mensuram alicuius membri secundùm operationem ei conueniẽtem? qui nullum inquam, gradũ in clero acquisiuerunt, non presbyterorum, non diaconorum, neq; aliorum minorum ministrorum, ne dum Episcoporum. Qui ergo nunquam ex laicis siue secularibus hierarchicè creuerunt in mensuram alicuius Ecclesiastici gradus, quomodo alios crescere faciant, vt ex laicis ministri verbi & Sacramentorum euadant? et qui primitias Spiritus teletarchici, id est, auctoris ac præsidis Sacramentorum, quas Apostoli acceperunt, nunquam participarunt, quomodo alijs impartire possint? Sed reliqua, quæ ad hunc locum de hierarchica ædificatione corporis Christi, quod est Ecclesia, pertinent, latius & opportunius prosequemur, cùm locum Epist. Pauli ad Ephes. cap. 4. qui est huius rei proprius, tractabimus.

Pergamus nunc ad ea, quæ sequuntur, videlicet vt videamus, quomodo adhuc ex eo, quod Dominus dixit: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos, eliciatur secundùm scripturæ sanctæ consequentiam, esse in Ecclesiastico ædificio vnum fundamentum sub Christo, quod est Petrus, & successor eius Episcopus Romanus, & ex eo rursus vocationes ministrorum apud Lutheranos & Caluinianos irritas esse & vanas, immo sacrilegas.

*Ioan. 20.

De Christo misso à Patre, vt esset positus in Sion. Et de Petro misso vt esset petra Ecclesiæ. Et illius loci, Gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, explicatio: Et quomodo Apostoli omnes erant vnum per colligationem cum gratia siue charismate Apostolici principatus, qui erat in Petro tanquam Capite.

CAPVT IIII.

*Ioan. 20. SAnè quidem, nisi hoc quod Dominus dixit, *Sicut misit me pater, & ego mitto vos, magnam vim haberet ad id, quod statim sequitur de potestate remittendi peccata & retinendi per virtutem Spiritus sancti, nunquam hoc loco positum & collocatum esset. In scriptura enim, quæ est omnis sapientiæ & artificij diuini plena, ipsa quoque verborum & sententiarum collocatio diuina est, & ad vsum intelligendi diuina diuinè accommodata. Igitur, sicut misit me pater, scilicet, vt essem lapis in Sion positus iuxta prophetiam Esaiæ: *Esai. 28. *Ecce pono in Sion lapidem summum, angula" rem, electum, pretiosum, qui crediderit in eum, " non confundetur: sic ego mitto vos, vt sit vnus ex vobis petra posita in Sion, id est, in Ecclesia: sic tamen, vt intelligamus missos quidem Apostolos secundùm mensuram eorum, id est, vt seruos, sicut antè dixi, & vt discipulos primos, qui in illũ primũ lapidem angularem crediderunt. Fundamentum *1. Cor. 3. enim inquit, *aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Fundamentum scilicet eiusdem dignitatis, fundamentum inquam ἀρχικόν, in quod sit credendum, non potest

potest aliud poni præter Christum dominum. Petrus verò positus est fundamentum hierarchicum & ἐπιχορηγούμενον. Dominus inquam, est fundamentum, quod subministrat Spiritum: Petrus verò ac successor eius, est fundamentum, cui subministratur. Ille est caput super omnia, sicut Apostolus ait.* Petrus autem caput sub illo, quia ex numero omnium. *Ephes. 1.

Sed videamus paulisper illa, quæ proximè in Esaia de Christo lapide in Sion posito sequuntur, quàm bene quadrent in alterum lapidem, id est, in fundamentum sub illo primo positum, vt vel ipsa cohærentia & conquadratio, vt ita dicam, testificatio grauissima huius veritatis sit. Igitur quia dixerat Propheta de illo lapide diuino in Sion posito: Qui crediderit, scilicet in eum, non confundetur, subiungit statim,*Et ponam iudicium in spem, Sic enim est apud 70. Ponam, inquit, quibus? ijs scilicet, qui in eum crediderint: hos enim manet spes honoris & gloriæ in iudicio futuro. Sic beatus Petrus *interpretari videtur. Cùm enim Esaiæ auctoritatem recitasset, dixissetque: Qui crediderit, non confundetur, subiungit statim, Vobis autem credentibus honor. In huius ergo honoris spem positum est iudicium ei, qui in illum lapidem angularem in Sion positum, iuxta prophetiam Esaiæ, crediderit. Sequitur apud Esaiam: Et misericordia in mensura. Perinde est, quasi diceret, credentes in eum manet spes honoris ac gloriæ in iudicio, quod fiet secundùm misericordiam Dei iustam. Remunerabit enim* secundùm rationem bonorum operum. In eos autem, qui non crediderint, *Esa. 18. *Esai. 28. *1. Pet. 2. *Rom. 2.

*Esa. 28. diderint, subiũgit idem Esaias: *Aquæ inundabunt, & delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno. Quia enim non magis isti minas Prophetarum timebant, quàm si pactum cum morte iniissent & cum inferno, ait Dominus per Prophetam, *Ibid. *rescissurum se pactum eorum cum inferno initum, id est, facturum se, vt præualeat mors & infernus in eos, qui in istum lapidem non crediderint. Similiter, ædificatis super illam petram sub illo lapide electo angulari positam, positum est iudicium in spem. Hi enim sperant, remitti sibi hierarchicè in iudicio Ecclesiæ peccata, ad eosque spectat illud, quod subiungit, *Matth. 16. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam, Ecclesiam scilicet, ædificatam supra petram, quam ille lapis pretiosus sub se posuit. Et illud: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quæ sequuntur.

*Ioan. 20. Rursus, *Sicut misit me pater, & ego mitto vos. scilicet, misit Deus pater filium, vt gloriam, quam ei pater dederat, discipulis daret, sicut idem in *Ioan. 17. Euangelio dixit, *Gloriam quam dedisti mihi, dedi eis, vt omnes sint vnum, sicut tu pater in me, & ego in te. Gloria ergo est, ait Gregorius Nissenus in comment. Cant. Cant. huius vnitatis vinculum, qui est Spiritus sanctus, qui dicitur gloria hoc loco. Ait enim: Gloriam, quam dedisti mihi, dedi illis. dedit autem Spiritum sanctum, cùm dixit, *Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: accepitque hãc gloriam, quã semper habuit, antequam mundus efficeretur, cùm naturam humanam assumpsit, qua glorificata per Spiritum sanctum Patri & Filio coæternum, communicatur

municatur hæc gloria Spiritus sancti cum reliquo genere humano, principio facto à discipulis. Hi enim primitias Spiritus acceperunt, quos in vnum corpus colligabat Apostolici principatus gloria, quę erat Spiritus sancti charisma residens in Petro capite. Hæc ex Gregorio non tanquam interpres, verbum pro verbo reddens transtuli: sed sententiam secutus sum.

Quòd Paulus de charismatibus hierarchicis disseruit in Epistola priore ad Corinth. Et de differentia charismatum ordinationis Ecclesiasticæ & signorum. Et de ratione analogiæ corporis humani ex varijs membris constantis, qua utitur Apostolus. Et quomodo ad regnum seculare, & ad regnum spirituale Ecclesiæ Catholicæ pertineat. Et quomodo in ea contineatur charisma hierarchici principatus unius capitis.

CAPVT V.

SEd veniamus iam ad locum Pauli Apostoli ex epistola eius priore ad Corinthios, in quo prius de charismatibus generaliter, postea de charismatibus hierarchicis, siue sacrorum ordinum, disseruit. Ex quo loco facile, vt spero, demonstrabo, vocationes ministrorū Lutheranorum & Caluinianorum execrabiles esse, nostrorum verò canonicas & ecclesiasticas, sanctas ac diuinas. Ergo quia erant Corinthiis schismata, sicut idem Apostolus scribit, * neque vnum idemq; sentiebant, quin potius alius huius, alius illius baptismum iactabat, quasi minister esset aliquid, aut non potius omnes ex æquo in nomine Christi baptizati essent, & quia alij in aliorum inuidiam de charismatibus à Deo acceptis gloriabantur,

1. Cor. 12.

* 1. Cor. 1.

 acperi-

ac periculum erat, idq; Paulus metuebat, ne ab schismate γνώμης in schisma ἐναντίως laberentur (Sic enim Clemens Romanus lib. vi. const. Apost. de hęresibus & schismatibus, schisma distinxit) metuebat, inquam, ne non solùm non idem sentirent, sed neq; vnum caput abiecta obedientia & vnione sequerentur, idcirco Paulus, Spiritu sancto eum docente, prius vtilissimam doctrinam de charismatum distributione tradit Corinthijs, secundo loco de hierarchica vnione, & de distinctione ordinum ecclesiasticorum, qui charismata quoque sunt, vt idem Clemens tradit.

Totum verò hunc locum miro artificio ac sensu videtur mihi Clemens non solùm sequutus, sed interpretatus lib. viij. quem ille de charismatibus inscripsit, in quo anteq; περὶ χειροτονιῶν, id est, de ordinationibus Episcoporũ, Presbyterorũ & aliorum ministrorũ, quę etiam, vt dixi, charismata sunt, traderet, dari quidem à Deo charismata scribit, non ad vtilitatem eorum, qui acceperunt, sed ad salutem infideliũ, quos sæpenumero, inquit, non rationũ demonstratio, sed signorũ operatio permouet. Scilicet hoc est,
1.Cor.12. quod in eo loco Paulus ipse ait, *dari vnicuiq; manifestationem Spiritus ad vtilitatem. Subiungit deinde Clemens: Hęc autem à nobis cò dicta sunt, vt qui huiusmodi charismata à Deo acceperunt, ne in eos se efferant, qui non acceperunt. Loquimur autem, inquit, de charismatibus signorum: quippe cùm nemo sit, qui per Christum in Deum crediderit, quin spirituale acceperit charisma. Nã hoc ipsum, ab idolorum cultu liberatum esse, & in Deum per Christũ credidisse, charisma Dei est: item velamen Iudai-

eum abiecisse,credidisseque, Dei voluntate æternum eius vnigenitum nouissimo tempore ex matre virgine * sine virili coniunctione natum esse, & quæ sequuntur: hæc, inquit, qui credit, & non vtcunque, neque inconsiderate, sed iudicio ac sine dubitatione quapiam,charisma quidem à Deo accepit. Hactenus Clemens. *Luc.1.

Hæc ergo Paulus breuitate sibi familiari cuncta comprehendens,in illo ipso de charismatibus loco, postquam multa eorũ enumerauit,vt admoneret nos,licet paulò obscurius more suo,quod Clemens Romanus,quasi interpres eius explanatius docuit,scilicet prӕter illa charismata signorũ, quӕ ad aliorum vtilitatem dari dixit,ac proinde non esse de his vanè gloriandũ,esse quidem aliud genus charismatis excellentioris,quod omnibus fidelibus tribueretur,subiungit,Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnũ corpus,,baptizati sumus, siue Iudӕi, siue gentiles, siue serui,,, siue liberi:et omnes vno spiritu potati sumus,et quӕ sequuntur. Et paulò pòst idem Clemens: Nemo igitur, inquit, se in fratrem suũ efferat,quamuis sit propheta,quamuis miraculorum patrator. Etenim si demus,nõ esse fortassis vnquam amplius infidelem, superuacanea deinceps erit omnis signorũ effectio. Esse.n. pium quempiam, ex beneuolentia, inquit,erga Deũ pendet,facere uerò miracula,ex virtute eius,qui operatur. Ac prius quidẽ ad nos spectat,posterius verò ad Deũ,qui ob eas,quas suprà diximus,causas,operatur. Idcirco adhibuit statim Apostolus analogiã illã corporis humani ex diuersis mẽbris constãtis,ad instituendos monẽdosque Corinth.,ne alij in alios se iactarent, & vt quisque modũ suũ teneret,ac locũ seruaret.

ret. Quam quidem analogiam referendam esse tum ad regnum seculare ac ciuile, quod est velut quoddam corpus ex suo capite, & alijs deinde infra Regem, vt ducibus et magistratibus, velut membris maioribus constans, tum etiam ad Ecclesiam, quæ suum quoque caput proprium & cognatum instar corporis humani habeat, & sua deinde varia membra actibus proprijs ac locis distincta, diuinè nos idem Clemens admonuit, cùm ait paulò pòst, veluti analogiam illã interpretans: Igitur neque Rex (inquit) duces, qui sub potestate eius sunt, contemnat, neque Magistratus populum. nam si nulli sint sub magistratibus, superuacanei sunt magistratus. Item si non sunt duces, non consistet regnum. Quinimmo (inquit) nec Episcopus se in Diaconos efferat, aut in Presbyteros, neque Presbyteri in populum: ex vtrisque enim constat cœtus. Episcopi enim & Presbyteri aliquorum sunt sacerdotes; & laici aliquorum laici. Atque esse quidem Christianum in potestate (inquit) nostra est, scilicet adiuuante Deo, vt idem paulò suprà dixerat: Apostolos verò & Episcopos esse, non est penes nos, sed potius penes Deum, qui charismata tribuit. Sed hactenus (inquit) propter eos, quibus charismata & dignitates donata sunt. Hæc Clemens. Distinxit hic dignitates & charismata, illas videlicet ad ciuiles præfectos, hæc ad ecclesiasticos præpositos referens.

Ex hac ergo Pauli analogia, quam non solùm ad corpus totius regni, sed in primis ad Ecclesiæ catholicæ corpus pertinere idem Clemens, tanquã Pauli interpres, admonuit, planè ac necessariò elicitur, vt hoc quoque obiter aduersus sectarios obseruemus, esse qui-

se quidem sub Christo, qui est caput super omnia, caput vnum οἰκεῖον Ecclesiæ catholicæ, qui est successor Petri principis Apostolorum. Etenim si non est in hoc corpore caput, vbi illud Apostoli, *Non potest dicere caput manui, opera tua non indigeo? Si non est vnus, qui vniuersæ Ecclesiæ præsit, quodnam caput corporis Ecclesiæ dicit? An dicent isti Christum esse caput istud, quod non posit dicere manui, opera tua non indigeo? Non credo dicent, ne manifestè blasphement. An ne Christus is est, qui non posit dicere cuiuis, opera tua non indigeo? Deinde hac responsione Regem quoque, qui sit caput regni ceu corporis tollere necesse est, aut dicant ipsi, cur magis caput regni ciuilis concedant, quàm caput Ecclesiæ? immò verò analogia corporis Apostolica non cogit vnum caput regni concedere: siquidem gubernatio ciuilis vt humana est, ita ab hominibus forma eius mutari potest, & frequenter solet. Cogit ergo fateri, esse omnino vnum caput corporis Ecclesiæ οἰκεῖον, id est, cognatum & proprium. Siquidem gubernatio eius non est ab hominibus inuenta, vt mutari posit, sed à Deo instituta, qui dixit in Euangelio: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & qui nunc per Apostolum suum Paulum, non Ecclesiam Corinthiorum, sed vniuersam Ecclesiam cum corpore humano comparauit, in quo & caput, & alia membra posuit. Ita secundùm proprietatem & naturam analogiæ Apostolicæ necesse est in vniuerso cœtu Ecclesiastico, ceu in corpore, caput vnum ponant; nisi volunt isti, discipulum Spiritus sancti & magistrum Ecclesiæ Paulum non docere,

*1. Cor. 12.

*Matth. 16.

ſed aliud agere. Sed pergamus ad reliqua eiuſdem loci de chariſmatibus, quæ magis adhuc ad quæſtionem propoſitam de hierarchicis ordinationib. miniſtrorum Eccleſiæ pertinent.

Explicatio loci Pauli, Quoſdam poſuit in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, & quæ ſequuntur. Et quòd Epiſcopi dicantur Prophetæ in ſcriptura ſancta, & quare. Et quòd Presbyteros vocet doctores, & vnde id conſtet. Et quòd Diaconos & hypodiaconos vocet virtutes, & quare. Et quòd communitas nominis in ſcripturis ſanctis, non tollat neque confundat proprietates, vt in vocabulo Presbyteri communi Epiſcoporum, & virtutis communi Angelorum. Item quòd gratiæ curationum pertineant ad Exorciſtas: & de duplici genere eorum: & quibus nunc conueniant in Eccleſia ex ordinatione genera linguarum & interpretatio ſermonum. Et de altero genere linguarum & interpretationis ſermonum, ex dono Dei.

CAPVT VI.

1.Cor.12. ET quoſdam, inquit, poſuit in Eccleſia primùm » Apoſtolos. Duodecim illos intelligimus, quos diuinus Dionyſius primos duces hierarchiæ noſtræ vocat. Hos enim, vt idem Clemens tradit, Chriſtus ipſe ἀμέσως, id eſt, immediatè, vt ita dicam, ordinauit, quos copioſiore gratia imbuit, vt ex eodem Dionyſio Areop. in cæleſt. hierar. c. viij. & Eccleſ. hier. c. 1. intelligere licet, quàm eos, quos non immediatè, ſed per Apoſtolos ordinauit, vt Clementem & alios cum eo, vt idem Clemens ſcribit. Secundò Prophetas.) Eos dicit, quos Deus per Spiritũ ſuũ immediatè docebat, quæ ad ædificationem Eccleſiæ opus

Act. 11. & c. 15. erant, vt erãt Agabus & Silas, & ij, quos Lucas narrat veniſſe ab Hieroſolymis, & fuiſſe Antiochiæ cũ docto-

doctoribus. Dicit autem, secundò posuisse Prophetas, vt intelligamus locū illos suum ac modū seruasse. Esse enim Spiritus prophetarū, vt Apostolus ait, *prophetis subiectos, siue vt vim verbi græci magis exprimam, etsi minus latinè, subordinatos. Vnde *1. Cor. 14.
Clemēs lib. viij. c. 1. Agabus, inquit, & Silas nostris temporibus prophetarunt, non tamen se supra Apostolos extulerunt, neq; modum suum transierunt. Vt igitur qui primò posuit Apostolos in Ecclesia tanquam maiores prophetas ac iudices, idem ponit, qui illis succedāt propius, vt sint Patriarchæ, siue Primates, & post eos Archiepiscopi, siue Metropolitani: sic qui posuit Prophetas secundo infra illos loco, idem ponit deinceps, qui illis item succedāt, qui sunt Episcopi Metropolitanis subiecti. Qui quidem Episcopi Apostolis succedentes sunt etiam prophetæ populorum, vt ait Clemens in lib. 1. const. Apost. Eorum enim est, vt illis ipsis in eorum ordinatione dicitur, iudicare, interpretari & consecrare. Est autem sapienter iudicare, scilicet ligando & soluendo, & interpretari arcana scripturarum, quoddam prophetare: immò etiam consecrare, genus est prophetādi. Vt cùm ordinat Episcopus per inuocationē, quā adhibet, quæ à Dionysio dicitur ἐπίκλησις, cum impositione manus, ostēdit consecrando ordinatum à Deo, quod est quoddam genus excellentis prophetiæ.

Huc etiā pertinet, id est, ad rationē nominis Prophetæ in Episcopis, quod ait idem Dionysius, dare Deum Episcopo facultatem, vt possit & sciat omnem perficere consecrationem: id quod symbolicè, vt idem docet, significat illa libri Euangeliorum

ſuper caput Epiſcopi, cùm ordinatur, impoſitio. Huc etiam pertinet, quod Paulus ad Timotheum ſcripſit, admonens eum de chariſmate Epiſcopatus
*1.Tim.1. accepto:*Noli (inquit) negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij. Sed de hoc loco diſſeram copioſius, cùm ad eum veniemus. Epiſcopi etiam dicuntur prophetæ, quia vt ait Dionyſius, non debent operari hierarchicè myſteria, vt iudiciorum ac conſecrationum αὐτοκινήτως, id eſt, ſuopte nutu, ſed ſub Deo mouente eos ad operandum hæc hierarchicè & diuinè: at non velle operari αὐτοκινήτως, ſed Deo excitante, prophetarum eſt. Et beatus Ambroſius in Epiſt. Pauli ad Epheſ. cap. 4. Epiſcopus, inquit, propter reſeratum & occultum ſcripturarum ſenſum, propheta dicitur. Sed de his hactenus, quæ eò diligentius obſeruauimus, quòd ſcirem non paucos, & quidem doctos homines, ſolicitè adhuc quærere, quos nam prophetas & poſuerit tunc Dominus in Eccleſia, & ponat nunc, & qua ratione.

Proſequamur ergo locũ Apoſtoli: ſequitur enim, » Tertiò, Doctores) Hi ſunt Presbyteri, quos Epiſcopi illi ordinarunt, quia eorum eſt docere verbũ Dei, vnde idem Clemens lib. 2. Presbyteros vocat doctores cognitionis Dei: & cùm eos ordinat Epiſcopus, ſic precatur: Hac prouidẽtia Domine Apoſtolis filij tui doctores fidei, comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicationibus impleuerunt. » Deinde, Virtutes) reliquos Eccleſiæ miniſtros ſignificat, vt Diaconos & Hypodiaconos, quos idem Clemẽs ab Epiſcopis, quos Apoſtoli ordinarunt,

dinarunt, vnà cum Presbyteris ordinatos dicit: hos inquam virtutes vocauit à potestate, qua hierarchicè secundùm ordinem suum vtuntur in Ecclesia: sicut diuinus Dionysius omnes angelos communi vocabulo virtutes vocari ait à potestate, qua eorum substantia ad operandum prædita est. Itaq; communitas nominis proprietates huiusmodi ministrorum non confundit; sicut neq; nomen Presbyteri commune in scripturis cum Episcopo, neq; nomen Episcopi, item commune cum presbytero proprietates vtriusq; confundit: neq; nomen virtutis commune cum angelis omnium ordinum. Sequitur, Exinde gratias curationũ) Exorcistas significat, vt etiam Rabanus Maurus in libro de institutionib9 Clericorũ notauit, qui inquit, cùm ordinantur, accipiunt potestatem imponendi manus super energumenos, vt imperent immundis spiritibus, & eijciant eos. Sunt tamen & alij Exorcistæ, qui non fiunt ordinatione, de quibus est Apostolica diataxis in libro viij. Clementis Romani. c. xxvi. de quibus copioseà nobis dictum est in scholijs, quæ in eos libros scripsimus, quę propediem, si Dominus voluerit, edentur. Illud autem quod sequitur, Opitulationes, gubernationes) non ordines alios ecclesiasticæ hierarchiæ significat, sed alias gratias, quas Deus Episcopis & Presbyteris largitur. Vnde cùm ordinantur Presbyteri, sic Episcopus Deum precatur, vt repleat eos Spiritu gratiæ & consilij ad opitulandum & gubernandum populum. Hoc Clemens in ordinatione Presbyteri, quæ in viij. lib. eius posita est. Non pertinere autem quas hic dicit Paulus opitulationes & gubernationes ad alium ordinem, præter eos, qui ab

ſuper caput Epiſcopi, cùm ordinatur, impoſitio. Huc etiam pertinet, quod Paulus ad Timotheum ſcripſit, admonens eum de chariſmate Epiſcopatus

* 1. Tim. 1. accepto: *Noli (inquit) negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij. Sed de hoc loco diſſeram copioſius, cùm ad eum veniemus. Epiſcopi etiam dicuntur prophetæ, quia vt ait Dionyſius, non debent operari hierarchicè myſteria, vt iudiciorum ac conſecrationum ἀυτοκινήτως, id eſt, ſuopte nutu, ſed ſub Deo mouente eos ad operandum hæc hierarchicè & diuinè: at non velle operari ἀυτοκινήτως, ſed Deo excitante, prophetarum eſt. Et beatus Ambroſius in Epiſt. Pauli ad Epheſ. cap. 4. Epiſcopus, inquit, propter reſeratum & occultum ſcripturarum ſenſum, propheta dicitur. Sed de his hactenus, quæ eò diligentius obſeruauimus, quòd ſcirem non paucos, & quidem doctos homines, ſolicitè adhuc quærere, quos nam prophetas & poſuerit tunc Dominus in Eccleſia, & ponat nunc, & qua ratione.

Proſequamur ergo locũ Apoſtoli: ſequitur enim, „ Tertiò, Doctores) Hi ſunt Presbyteri, quos Epiſcopi illi ordinarunt, quia eorum eſt docere verbũ Dei, vnde idem Clemens lib. 2. Presbyteros vocat doctores cognitionis Dei: & cùm eos ordinat Epiſcopus, ſic precatur: Hac prouidẽtia Domine Apoſtolis filij tui doctores fidei, comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicationibus impleue„ runt. Deinde, Virtutes) reliquos Eccleſiæ miniſtros ſignificat, vt Diaconos & Hypodiaconos, quos idem Clemẽs ab Epiſcopis, quos Apoſtoli ordinarunt,

dinarunt, vnà cum Presbyteris ordinatos dicit: hos inquam virtutes vocauit à potestate, qua hierarchicè secundùm ordinem suum vtuntur in Ecclesia: sicut diuinus Dionysius omnes angelos communi vocabulo virtutes vocari ait à potestate, qua eorum substantia ad operandum prædita est. Itaq; communitas nominis proprietates huiusmodi ministrorum non confundit; sicut neq; nomen Presbyteri commune in scripturis cum Episcopo, neq; nomen Episcopi, item commune cum presbytero proprietates vtriusq; confundit: neq; nomen virtutis commune cum angelis omnium ordinum. Sequitur, Exinde gratias curationũ) Exorcistas significat, vt etiam Rabanus Maurus in libro de institutionib9 Clericorũ notauit, qui inquit, cùm ordinantur, accipiunt potestatem imponendi manus super energumenos, vt imperent immundis spiritibus, & eijciant eos. Sunt tamen & alij Exorcistæ, qui non fiunt ordinatione, de quibus est Apostolica diataxis in libro viij. Clementis Romani. c. xxvi. de quibus copiosè à nobis dictum est in scholijs, quæ in eos libros scripsimus, quę propediem, si Dominus voluerit, edentur. Illud autem quod sequitur, Opitulationes, gubernationes) non ordines alios ecclesiasticæ hierarchiæ significat, sed alias gratias, quas Deus Episcopis & Presbyteris largitur. Vnde cùm ordinantur Presbyteri, sic Episcopus Deum precatur, vt repleat eos Spiritu gratiæ & consilij ad opitulandum & gubernandum populum. Hoc Clemens in ordinatione Presbyteri, quæ in viij. lib. eius posita est. Non pertinere autem quas hîc dicit Paulus opitulationes & gubernationes ad alium ordinem, præter eos, qui ab

Apoſtolo Paulo hic enumerati ſunt, vel ex eo intel-
* 1 Cor. 12. ligi poteſt, quòd ſtatim ſubiungit,* Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes habent gratiam ſanitatum? Nō addidit, nunquid omnes habent gratiam opitulationis aut gubernationis? ſcilicet non addidit, quòd iam eſſent iſti in ſuperioribus comprehenſi. Sequitur deinde, Genera linguarum, interpretationes ſermonum.) quibus illa extrema reſpondent, Nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Eſſe verò nūc, qui ex officio in Eccleſia per hierarchicam ordinationem linguis loquantur, & qui linguas interpretentur, vt omnia honeſtè & ſecundùm ordinem in Eccleſia Dei fiant, probat ritus & conſuetudo Eccleſiæ catholicæ Romanæ. Idem audio vſq; in hodiernum diem in Eccleſia Græcorum fieri. Non loquimur modò de illo dono linguarum,
* 1 Cor. 14. quas Apoſtolus * ait in ſignum eſſe infidelibus, ſed de alio genere ex hierarchica ſcilicet ordinatione: ſicut paulò ſuprà de genere Exorciſtarum ex ordinatione item hierarchica. Sed conferamus iam cum his vocationes aduerſariorum.

Quomodo ex loco Apoſtoli de Apoſtolis & Prophetis in Eccleſia poſitis, demonſtretur ratio & auctoritas ordinationis legitimæ miniſtrorum Eccleſiæ. Et quòd tales ordinationes, id eſt, profanas, habent Lutherani, quales cœnas illi Corinthij ab Apoſtolo reprehenſi, & quales ipſi Lutherani. Et de ſigno legitimæ ac hierarchicæ ordinationis comparato cum ſigno ordinationis in Moſaica hierarchia.

CAPVT VII.

AC quia hic locus de ministris hierarchicis à Deo in Ecclesia à principio positis, et quos vsque in hodiernum diem in Ecclesia Dominus ponit, & vsque ad consummationem seculi positurus est, mediocriter est à nobis tractatus & explanatus, excutiamus deinceps, quae nam ratio & auctoritas eligendi ministros Ecclesiae hinc eliciatur, ex quo intelligant Lutherani ac Caluiniani, si tamē credere voluerint, quales sint suorum ministrorum ac Superintendentium vocationes. Et quosdam, inquit, posuit in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò prophetas. Non dixit, posuit ἐν ἐκκλησίᾳ sine articulo, & ἀδιορίστως, hoc est, infinitè. Non enim in quauis Ecclesia posuit tunc, vel etiam nunc ponit Deus tum propiores successores Apostolorum, qui sunt οἱ πρωτεύοντες, id est, Patriarchae, siue Primates, & post eos Archiepiscopi prouincialiū dioeceseon, siue Metropolitani: tum Prophetas, siue Episcopos minorū dioeceseon. Sed dixit ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ cum articulo, quae vna est & certa & eadem, quae tunc erat, & quae nunc, sicut fluuius idem est nunc, qui fuit à principio sui lapsus & fluxionis. In hac igitur Ecclesia, in qua nos per Dei gratiam sumus, ponit idem Deus nostros πρωτεύοντας, & per eos ponit prophetas ciuitatum siue Episcopos, sicut à principio. Non enim sine auctoritate Patriarchae, aut Metropolitani potest Episcopus ordinari, vt Ecclesia sancta Apostolicam traditionem secuta, sacris canonibus sanxit. Nos ergo in Ecclesia catholica, quę vna est, Primates, & Metropolitanos, & Episcopos habemus, per quos à Deo sacrae ac legitimae ordinationes fiunt.

Apos. c. i. Clem. lib. viij. c. iiij. Syn. Nic. c. iiij. Syn. Carth. c. xiij. Aur c. iiij. etc. Inno. ep. ij c. i.

Luthe-

Syrit. ep. iiij. Zos. ep. i. c. i. Leo ep. liiij. et ep. lxvi. Cel. ep. ij. c. iij. Greg. ep. viij.

Lutherani verò ac Caluiniani respondeant nobis, quos propiore loco successores Apostolorum, aut remotiores, quos inquam, Patriarchas siue Primates, quos metropolitas, aut Episcopos ostendere possunt, per quos tribuat Deus spiritualia charismata ministris eorum? an plebes? an magistratus? Populi enim reges mundi, ac principes seculi & magistratus, non spiritualia charismata, sed dignitates largiri possunt. Quid verò his cum sacro & spirituali ministerio verbi & sacramentorum? Itaque in nostris ordinationibus dici potest, quod Optatus Afer lib. v. contra Parmenianũ & Donatistas ait: Humana quidem opera esse, sed Dei munera. In vocationibus verò ministrorum ac Superintendentium, quæ apud Lutheranos & Caluinianos fiunt, dicendum est, Humana esse operà, & hominum munera. Tales enim sunt, id est, laici, qui vocantur ad ministerium verbi & sacramentorum, quales sunt auctores illius sacrilegæ potestatis, quam tribuunt. Et qui vocantur ad ministrandum, non in nomine Christi ministerium verbi ac sacramentorum obeunt, sed in nomine communitatis aut magistratus, qui illius ministerij profani & blasphemi potestatem eis dedit. Quòd si verè tamen baptizant, vt quidem baptizant, eorumque baptismus, Christi baptismus est, hoc enim ferè solum sacramentum sibi reliquerũt, non tamen tanquam legitimi ministri baptizant, sed vt vnus quiuis de populo. Cœnas verò tales faciunt Lntherani, quales principiò Corinthij illi contra diuinam traditionem magni sacramenti Eucharistiæ in Ecclesia facere incipiebant, vt beatus Cyrillus lib. iiij. pentabibli, quam aduersus blasphemias

Nestorij scripsit, testatur. Sic enim ait de Corinthijs: ἐπειδὴ δὲ τὴν τοῦ μυστηρίου παράδοσιν τε καὶ δύναμιν ἠγνοηκότες ἐν ἀρχῇ τῶν πιστευσάντων τίνες ἔξω τρέπεσθαι τοῦ εἰκότος ἤθελον πανδαισίας τε καὶ δημοθοινίας πληροῦντες ἐν ἐκκλησίαις τοῖς τοῦτο δρᾷν εἰωθόσι ἐπετίμα γράφων ὁ μακάριος παῦλος, μὴ γὰρ, οἰκίας οὐκ ἔχετε εἰς τὸ ἐσθίειν καὶ πίνειν, καὶ τὰ λοιπά. Interpretabor latinè: Postquàm verò (inquit) quidam ex Christianis in principio, qui traditionem sacramenti, & virtutem eius ignorabant, voluerunt ab eo quod consentaneum ac decens erat, recedere, agitantes conuiuia communia in Ecclesijs, & populares cœnas facientes, eos qui hoc facere solebant, increpabat beatus Paulus, cùm ad Corinthios scribens ait, * Nunquid non habetis domos ad comedendum & bibendum? & quæ sequuntur. Hoc ergo erat ignorare illos traditionem sacramenti, & virtutem eius diuinam, quam traditionem Paulus paulò pòst illis ipsis Corinthijs explicauit, scilicet pro dominica cœna, quam Dominus tradidit discipulis, agitare conuiuia & cœnas populares in Ecclesia. Sed de hoc dicam plura extremo libro de sacrificio. *1. Cor. 11.

Nunc verò, vt ad hierarchicas ordinationes redeamus, quia dicturi sunt Lutherani vocem Apostoli vsurpantes, ponere Deum in Ecclesia eorum ministros ac Superintendentes, nos contrà, quòd non in eorum Ecclesia, sed in nostra ministros verbi & sacramentorum ponat, ex eo demõstramus, quòd qui quosdam posuit in Ecclesia, primùm Apostolos, * secundò Prophetas, idem semper successione perpetua ex eo tempore posuit, & ponit, & vsq; ad consummationẽ seculi eorum successores positurus est, *1. Cor. 12.

ad quos cùm ordinandi accedimus, tanquã ad Deũ accedimus, ſicut ipſe præcepit & dixit,* Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Itaque quòd Deus in Eccleſia noſtra miniſtros verbi & ſacramentorum ponat, demonſtrat hoc ipſa eorum legitima ordinatio, id eſt, quæ fit ſecundùm Dei legem ac conſtitutionem per ſucceſſores Apoſtolorum Epiſcopos. Hæc enim eſt inſtar illius virgæ, quam Deus, ſicut in Leuitico ſcriptum eſt, *florere fecit, vt cùm eo ſigno oſtenſum eſſet, electum eſſe à Deo Aaron, omnis querela populi ceſſaret. Sic enim Clemens Rom. lib. 2 conſt. apoſt. interpretatus eſt. Quod quidem non tantùm propter illos ſcriptum eſt, ſed propter nos etiam: vt cùm oſtenſum erit, eſſe aliquem per ſucceſſores Apoſtolorum hierarchicè ordinatum, habeatur hoc pro diuino ſigno & Spiritus ſancti teſtimonio, ordinatum eſſe à Deo, qui ſic ordinare conſtituit, vt ceſſet iam deinceps omnis querela. Ex quo fit, hæreticum eſſe & blaſphemum dicere, ordinationes hierarchicas & diuinas ab Epiſcopis factas, ex conſenſu populi pendere, ac ſine illo irritas eſſe. Quos enim vocat Deus per miniſtros ſuos legitimos, id eſt, per ſucceſſores Apoſtolorum, ſicut Aaron, non per plebem, ſed per Moſem vocauit, eiſdem dat honorem hierarchicè, ſicut ipſe per Apoſtolum ſuum Paulum dixit, * Neque quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Loquebatur enim de honore Moſaicæ hierarchiæ, quæ typus noſtræ fuit. Dicant ergo nunc Lutherani & Caluiniani, quod nam ipſi ſignum diuinum habeant, quod vice virgæ Aaronicæ diuinitus floreſcen-

*Luc. 10.

*Leuit. 17.

*Heb. 5.

rescentis, ministros eorum & Superintendentes à Deo electos & vocatos esse ostendat. Nos enim, vt sæpius dicam, pro diuino signo ordinationis à Deo factæ, habemus ipsam ordinationem à Deo per successores Apostolorum factam. Quòd si verò isti diaboli imitatores, qui se transfigurat in angelum lucis, sicut Apost. ait, * ad faciendas suorum ministrorum ac Superintendentium vocationes & electiones, ipsos populos aut magistratus in Apostolorum successores transfigurare volunt, audiant quod Apostolus veluti in eos atque eorum similes prophetico spiritu intuens, dixit; * Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? Cùm enim hoc dixit, illud quoque secundùm virtutem dixit, Nunquid omnes Apostolorum successores? nunquid omnes Prophetarum successores? Deinde cùm Apostoli & eorum successores mittantur, hoc enim declarat verbum Apostoli, id est, missi: si omnis populus ad faciendas hierarchicas vocationes ministrorum, successor est Apostolorum, id est, missus, vt illi ipsi Apostoli: vbi sunt ij, ad quos mittitur? Necesse enim est alium esse missum, & alios, ad quos mittitur. Sed satis hactenus de loco epistolæ prioris ad Corinthios. Pergamus ad alium locum huic similem, locum dico epistolæ ad Ephesios c. iiij. in quo etiam ratio coagmentationis & finis Ecclesiasticæ hierarchiæ diuinè ab Apostolo descripta est.

* 2 Cor. 11.

* 1 Cor. 12

Explanatio loci epistolæ Pauli ad Ephes. c. 4. de hierarchia Ecclesiastica, & unitate eius, & uirtute atque fine. Et de uocabulo Ecclesiæ quibus conueniat secundùm scripturam. Et quòd peius fecerint Lutherani & Caluiniani, quàm Ariani, qui in communione mutua cum fidelibus, annis xxx. in Ecclesiis permanserint.

CAPVT VIII.

REpetamus ergò à principio explanationem loci huius epistolæ ad Ephesios de ecclesiastica hierarchia, quò clarius originem ac rationem diuinarum ordinationum intelligamus, ac rursus intelligant Lutherani & Caluiniani, modò velint credere, nihil ad eos hunc Apostoli locum pertinere, id est, alienos se esse ab ea vnitate corporis & Spiritus, quã hic docet & commendat Apostolus. Igitur quia, vt Theodoretus in commentarijs epistolæ huius notauit, erant Ephesij charismata Spiritus adepti signorum, linguarum, prophetiæ: hæc autem (si non sit modestia & caritas) æmulationes, cõtentiones, dissidia, elationẽ & inuidiam parere solent, similiteratque

Eph. 4. ,, euenerat Corinthijs: idcirco rogat eos, vt ambulent
,, in omni humilitate & mansuetudine cum patientia
,, supportantes inuicem in caritate, solliciti seruare v-
,, nitatem Spiritus in vinculo pacis. Deinde ne ij, qui charismata signorũ accepissent, in eos se efferrẽt, qui non accepissent: & ij, qui non accepissent, ne molestè ferrẽt, docet, sicut in epist. ad Cor. priore fecerat, neminem fideliũ esse, qui non acceperit charisma. Charisma enim est hoc ipsum, scilicet baptizatos esse in vnum corpus, & in vno spiritu, sicut in epist. quoque ad Corinth. scripsit, & in vnam spem viuam gloriosæ resurrectionis, & incorruptibilis hæreditatis. Si

Rom. 6. enim (inquit) complantati facti sumus similitudini mor-

ni mortis eius, per baptismum scilicet, simul & resurrectionis erimus. Hoc ergo est, quod nunc Paulus subiũgit, *Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Sequitur, V- nus dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Quia sciebat Apostolus futurum esse post discessum ab Ephesijs, sicut illis ipsis dixerat, vt Lucas narrat,* quòd exurgerent viri loquentes peruersa, vt abducerent discipulos post se, valde necessarium fuit, vt eos de hierarchia ecclesiastica, & de tota eius auctoritate, virtute, forma, coagmentatione & fine doceret. Est enim finis eius dare operam, vt omnes mutua connexione in vnum corpus copulati simus, idipsum *dicamus omnes, & non circumferamur *omni vento doctrinæ. Qui enim per alienos & nouos magistros abduci se ab vno sensu & scientia Ecclesiæ catholicæ patiuntur, hi hierarchiam dissoluunt, cùm finem eius tollant, & caput, quod Christus est, amittunt, ad quod hierarchicè per legitimos Ecclesiæ ministros prius referebantur: immò Ecclesiam non habent, sed pro Ecclesia segregationem. Ecclesia enim, vt beatus Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus grauiss. auctor in catechesi xviij. scripsit, φερώνυμως dicitur, id est, vt vis ipsius verbi fert, quòd vocet omnes, & congreget in vnum. At Lutheranorum & Caluinianorum Ecclesia, vt ipsi falsò appellant, non vocat nisi paucos per Germaniam & Galliam, neque eos ipsos in vnũ congregare potest, quia vnum caput, ad quod se referat, nõ agnoscit. Obseruauit autem idem auctor Cyrillus, tunc primùm scriptum esse in scriptura sancta

*Ephes. 4.

*Actor. 20.

*1. Cor. 1.

*Ephes. 4.

hoc verbum ἐκκλησιάζειν, cùm Aaronem in Sacerdotio suo constituit Dominus: scilicet, vt intelligeremus, vt ego quidem interpretor, id quod verissimũ est, sublato proprio & cognato corporis capite, non posse fideles in vnum congregari, tolliq́ rationem & nomen Ecclesiæ. Sic euenit Lutheranis & Caluinianis, qui ex Ecclesia catholica Aaronem nostrum tollunt, quod verbum montem significat, sicut tradunt, qui Hebraica callent: tollunt (dico) nostrum Cepham, quod verbum crepidinem, siue petram Syriacè declarat, quæ est fundamentum Ecclesiæ supra montem positæ. Hoc igitur est charisma omnibus fidelibus tributum, charisma (inquam) vnionis in vno corpore, vno spiritu, vna spe, vno Domino, vna fide, vno baptismate, vno Deo. Vna fides, inquit, *& vnum baptisma; scilicet, quia vnus Deus: Qui enim credit in filium, credit in patrem; & qui credit in patrem & filium, credit in Spiritum sanctum. Similiter, Vnum baptisma: quia scilicet vnus Deus in Trinitate. Sic magnus Athanasius hunc locum de vna fide, & vno baptismate lib. iij. contra Arianos interpretatus est. Ac idem rursus in epist. ad Serapiõem: Qui separat (inquit) filium, aut Spiritum sanctum, diuidit fidem & baptisma in Deum, & creaturam, quæ debet esse vna in vnum Deum trinum. Idcirco (inquit) statim designauit Trinitatem, cùm subiungit, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus. Sic enim legit & interpretatur idem Athanasius: Super omnia, inquit, tãquam principium & fons: per omnia, quia per filium facit cuncta; & in omnib. id est, in Spiritu sancto facit omnia per filiũ. Itaque quia sciebat Apostolus, *vt paulò antè dixi, futu-

*Ephes. 4.

*Actor. 20.

futurum esse, vt exurgerent viri peruersa loquentes, vt abducerent discipulos post se, idcirco Ephesios de charismate multiplicis vnitatis, quo donati erant, admonet, hortans eos, ne patiantur se ab vnitate ista tanta ac tali distrahi. Vtinam hoc Lutherani & Caluiniani à principio fecissent, in quo meliores fuerunt & humaniores Ariani, qui, vt Theodoretus ad Domnum Episcopum Antiochenum scripsit, quamuis veritatem oppugnarent, in communione tamen mutua cum Catholicis, annis xxx. perseuerarunt, quousque corpus Ecclesiæ sciderunt. At Lutherani vnam alioqui fidem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis nobiscum profitentes, & vnum baptisma, scisso tamen corpore Ecclesiæ, & dirupto vinculo pacis, nunquam nobiscum communicare voluerunt: quin potius statim vt magistri eorum loquentes peruersa, discipulos post se abduxerunt, se à nobis segregarunt, aliudque altare erexerunt, vel potius mensam profanam pro altari: alios ministros non sacros, sed execrabiles constituerunt, nō vocatos à Deo per successores Apostolorum, sed à populo aut magistratu.

Sed prosequamur reliqua: Vnicuique (inquit) *nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi) Non dixit gratia, sine articulo, id est, infinitè, ne hanc, aut illam intelligeremus, sed cum articulo, vt illam gratiam intelligeremus, siue illud charisma, quod proximè antecessit, charisma (inquam) siue gratiam tenendi vnum Dominum, vnam fidem, vnum baptisma, vnum Deum: quæ quidem gratia data est vnicuique fidelium secundùm mensuram *donationis Christi, id est,

*Ephes. 4.

*Ibid.

secun-

ſecundùm analogiam diſpoſitionis animæ,cui metitur Spiritus ſanctus energiam ſuam, quæ habitum tribuit conuenientem ad operandum. Sic docuit S. Maximus in iij. hecatondade theologica. Et beatus Hieronymus, Secundùm menſuram (inquit) donationis,non quòd menſura eius diuerſa ſit, ſed quòd tantùm gratiæ eius infunditur, quantum valemus
„ haurire. Hoc autem confirmat Apoſtolus auctorita-
„ te prophetici teſtimonij ſubiungens, Propter quod
Pſal. 67. Ephes. 4. dicit: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quam verò captiuitatem dicat, vt hoc quoque obſeruemus, idem Propheta ſtatim interpretatus eſt, cùm ſubiungit, Etenim non credẽtes inhabitare dominum Deum. Sed quia fortaſſe videatur difficilis hic locus, eiuſque explanatio non eſt aliena ab eo opere, quod ſacerdotibus Eccleſiæ catholicę diuinè & hierarchicè propoſitum eſt: ſcilicet vt cunctos ad Deum conuertant, quicunque ab eo auerſi ſunt, quod eſt ducere eos captiuos ad caſtra cœleſtia magni Ducis noſtri Ieſu, idcirco explanabo eum, quàm breuiſsimè potero, collatis more meo ſcripturis, & noſtris de ea re obſeruationibus.

Explanatio illius, quod ex Propheta Apoſtolus citat: Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Et de prædicatione Chriſti ad eos qui captiui tenebantur in inferno. Et locus epiſtolæ prioris beati Petri, 3. & 4. cap. de iſta prædicatione explicatus, & cum Propheta collatus.


CAPVT IX.

Erant

ERant ergo ante Christi Dei nostri mortem apud inferos, qui piè alioqui & sanctè vixerant in hoc mundo, licet mysterium incarnationis non plenè credidissent, credituri tamen plenè, si aduentus Christi in eorum tempora incidisset. Istis igitur, vt Didymus Alexandrinus in comment. epist. beati Petri ait, ne hoc excusarent, Christus in inferno ipso prædicauit, atque ij ipsi plenè crediderunt. De qua prædicatione idem beatus Petrus in priore epist. sua bis meminit. Hos mihi Gregorius, cognomento Theologus, in secunda oratione de Pascha, significasse videtur, cùm ait: Si Christus ad inferos descendit, cognosce eius illic mysteria, quænam ratio duplicis descensus. Duplicem descensum dicit, scilicet de cœlo in terram, & de terra ad inferos. Deinde subiungit, Num omnes simpliciter, cùm in inferno apparuit, an eos, qui etiam illic crediderunt, saluos fecerit? Quòd si eos significat saluos factos, qui illic etiam crediderunt, habuerunt ergo prius fidem in Christum. Rursus verò, quia illic animam Christi viderunt, consequens est, vt clarè in Christum, & in Christi mysteria, Christo prædicante, crediderint. Hi fortasse sunt, de quibus Zacharias cap. ix. prophetauit, cùm ait: Emisisti vinctos tuos in sanguine testamenti ex lacu, in quo non erat aqua. Et subiungit, Conuertimini ad munitionē vincti spei, quasi hæc esset summa prædicationis, vt conuerterēt se ad credendum μετὰ πληροφορίας, id est plenè ac sine vlla dubitatione in IESVM, munimen & salutem nostram. Hucque pertinet, quod Cyrillus Alexand. in comment. huius Prophetæ c. xiiij. ait, Ante aduentum Christi eos, qui non credidissent, fortassis



hoc excuſare potuiſſe,quòd nemo eis Chriſtum prę-
dicaſſet,ob eamq́; cauſã vocatos hora vndecima in
Matth. 20. parabola Euangelij, reſpõdiſſe, quia nemo nos cõ-
duxit. Quòd ſi illi ante aduentũ hoc excuſare pote-
rant (loquitur autem de ijs, qui hoc excepto, quòd
ſcilicet non plenè credidiſſent, in cæteris pietatẽ co-
luerunt)illis profectò Chriſti in carcerem prædica-
*1 Pet. 3. tio conueniebat,de qua,vt dixi, beatus *Petrus in e-
piſt. ſua priore bis meminit. Prædicaſſe itaq; in in-
ferno,vt dubitare non licet,ita etiam certũ eſt, per fi-
dem illius prædicationis non omnes tunc confiten-
tes,vtcunq; in mundo antè vixiſſent,liberatos,vt fu-
it quorundam error, quos beatus Greg. in epiſt.
ccclxij. reprehendit & coarguit. Sed eos (inquit)
quos viuentes in carne per ſuam gratiam in fide &
bona operatione ſaluauit. Nam trahi (inquit)
ad Dominum non potuit, qui ſe à Deo malè viuen-
do ſeparauit. Fuit hic error poſtea in ſynodo Ro-
mana, Zacharia Pontifice, damnatus cum Clemen-
te Scoto, qui cum vnà cum alijs erroribus profite-
batur. Idem ſenſit Ioannes Damaſcenus lib. iij.
de fide orthodoxa, & in lib. de mortuis. Leontius
quoque Cyprius in libro contra Neſtorium, ſpiriti-
bus,qui in carcere erant,ait prædicaſſe Chriſtum re-
miſſionem: videturq́; interpretari,quod prædixerat
Iſai. 61. Chriſtus per Iſaiam, miſſum ſe, vt captiuis remiſſi-
onem prædicaret, ad hanc prædicationẽ pertinere.
Hi igitur fuerunt,quos primùm I E S V S poſt paſſi-
onem ſuam per fidem expreſſam & plenam cœpit,
& ex diaboli manu ereptos captiuos duxit: quia
Acto. 4. non ſit aliud nomen ſub cœlo,in quo oporteat ſal-
uos fieri.In his primùm declarata eſt vis illius no-
minis,



minis, quo Isaias iussus est vocare illum, quem ex prophetide, Maria scilicet, in spiritu videbat nasci, cũ dictum est ei,* Voca, celeriter prædare: & velociter diuide spolia. Quare cùm Dauid dicat, * captiuos, quos duxit Dominus ascendens in altum, ex inferioribus partibus terræ, ad quas descenderat, fuisse illos, vt statim subiungit idem Dauid, qui non crediderant inhabitare dominum Deum, in homine scilicet, id est, non planè crediderant futurũ esse hominẽ: ac rursus beatus Petrus dicat, *prędicasse in carcere eis, qui increduli fuerãt aliquando, quando expectabant Dei patientiã in diebus Noë, cũ fabricaretur arca, et illos duxerit captiuos, quib. prędicauit, & quos per fidem prædicationis cœpit: consequens est, vt increduli, quos Petrus dixit, illi fuerint, quos propheta Dauid dixit ductos captiuos, quia non crediderant inhabitare dominũ Deum. Hi enim alioqui fidem Dei & charitatẽ habentes; nõ enim vocauit eos scriptura ἀπίσυς, id est, infideles, sed ἀπειθήσαντας, id est, repugnantes: Si inquam, nimium (credo) confisi misericordiæ & patientiæ Dei, non satis credebant, quod sanctus Noë de diluuio impendente prædicebat, & de futuro aliquando mysterio baptismi, qui instar diluuij omnia peccata deleret, & omnes dęmones, tãquam Pharaones quosdã spirituales, demergeret: & de mysterio item arcę humanitatis Christi, in qua habitaret plenitudo* diuinitatis, in quo mysterio salus mundi posita esset. Quã incredulitatẽ luerunt illi quidẽ in carne in illo interitu repentino, fidem verò mysterij plenè ceperunt in spiritu per misericordiam Dei, qui illis, Christo prędicante in carcere, fidẽ plenam donauit; qua ibi plenè illuminati, antè in hoc se-

* Isai. 8.
* Psal. 67.
* 1 Pet. 3.
* Colos. 2.

culo per fidem in Christum, licet non plenam, cum charitate tamē coniunctā meruerant. Ad hoc enim, etsi fortassis etiam ad alia, euangelizatum est illis in
* 1 Pet. 4. inferno, sicut idem Petrus docuit,* vt iudicentur (inquit) secundùm homines in carne, quod, vt sanctus Maximus notauit, factum est in diluuio, viuant autē secundùm Deum in spiritu, quod factū est per plenā fidem Christi in carcere perfectiore vita spirituali. Hactenus obiter de loco obscuro, quantum assequi potui, de quo multa subtiliter & per multiplicē quęstionē pater Aug. in Epist. ad Euodium xcix. Sed aliorum de his esto iudicium. Pergamus ad reliqua.

Explanatio eius, quod Apostolus ait: Quosdam dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas: alios verò Euangelistas: & qui nunc sint successores Euangelistarum in Ecclesiastica hierarchia: Et quos dicat Pastores & Doctores. Et quid apud Paulum significet, Episcopum & Presbyterum esse doctorem. Et de fine hierarchiæ Ecclesiasticæ, quæ est consummatio sanctorum. Et quid propriè significet verbum græcum, quod consummationem interpretatus est uetus interpres: Et de exemplo huiusmodi consummationis in Epistola ad Galatas. Et quomodo cōtra naturam faciunt sectarij, uocantes ministros Ecclesiæ per potestates seculares. Et quomodo spiritualia cum spiritualibus comparanda sunt; & quomodo in suorum ministrorum uocationibus peiores sunt sectarij, quàm Simon Magus.

CAPVT X.

* Psal. 67. Eph. 4.

SEquitur enim, Dedit * dona hominibus) Pro quo verterunt 70. in eandem sententiam, accepisti dona in hominibus. Quē locum sic magnus Athanasius scribēs contra Sabelliū, interpretatus est: Si homo (inquit) tantū esset (Christū dicit) non fuisset habitus tot donis dignus; si verbū tantū, non eguisset:

vni-

vnitū ergo fuit verbū homini;& Deus pater intuens in verbum,dedit homini, vt exaltaretur, & haberet potestatem,& alia huiusmodi.Idcirco ad ipsum verbum referuntur omnia,tanquam ipsi data sint, quæ per ipsum accepimus. Itaq; vt propter nos (inquit) humiliatus est,sic propter nos exalta tus dicitur.Ergo donauit illi, id est, nobis per illum: exaltauit illum,id est, nos in illo. Vnde ipsum verbum,nobis exaltatis & adiutis,tanquam ipse exaltaretur & adiuuaretur,sic gratias agit,nostra ad se referens, ac dicēs, Omnia quæ dedisti mihi, dedi illis. Sic enim legit hactenus Athanasius.Preterea dona dixit hîc Apostolus sine articulo, hoc est, infinitè, vt non hoc, aut illud intelligeremus,sed quæcunq; dona,ex quibus erat donum,siue charisma signorum, charisma credendi in Deum secundùm mensuram, qua metitur Deus cuiq; proportione propriæ dispositionis. Item charisma Apostolatus, prophetiæ, charisma Euangelizandi,pascendi,docēdi,de quibus subiungit,*Et ipse dedit quosdem quidē Apostolos, quosdam autem prophetas. Diximus supra,auctoritatē diuini Dionysij sequuti, succedere propius in locū Apostolorum primos Episcopos prouincialium diœceseon,deinde Episcopos,qui sunt, vt Clemens in 2.lib.ait, prophetæ populorum, Sed de huiusmodi prophetis,& qui nunc eorum locum in Ecclesia teneant,& qua ratione,diximus paulò antè: illinc assumat,qui hîc plura desiderat, ne eadem repetamus. *Ibid. *Ephes.4.

Sequitur,*Alios verò Euangelistas.)Illos, vt ego quidem existimo,dicit,qui Euangelium scripserunt, quos in Euangelio Matthæi vocasse videtur Dominus Scribas,cùm ait;*Ecce ego mitto ad vos Prophe- *Matth.23.

 tas,

tas, & sapiẽtes, & Scribas: quorum successores sunt, vt beatus Ambrosius sensisse videtur, Diaconi. Euangelistas itaq; interpretatur Diaconos, quorũ est, non tam prædicare Euangelium, quàm illud legere &, canere. Quòd enim Philippus, vnus ex vij. Diaconis, Euangelium prædicabat, sicut de eo scriptum

*Actor. 8. est in Actis, *quòd prædicabat Christum in Samaria: & quòd euangelizante eo de Dei regno, multi crediderunt, dicendum est, à Deo vocatum esse singulari vocatione ad euangelizandum, vnde Euangelista dictus est: sicut fuit idem, vt Clemens quoq; lib. viij. notauit, vocatus à Deo ad baptizandum Eunuchum: cùm baptizare sacerdotum sit: & sicut

*Actor. 9. fuit Ananias *vnus ex fidelibus, ad baptizandum Paulum vocatus. Sunt quoq; secundo loco successores Euangelistarum, quorundam opinione lectores, qui ex officio non Euangelium, sed prophetias Euangelij in Ecclesia legunt. Idcirco horum ordinem cum Presbyteris & Diaconis coniunxit Clemens lib. viij. cùm ait in persona Apostolorum: A nobis autem ordinati sunt communiter Presbyteri, Diaconi & lectores: in quorum ordinatione sic Episcopus precatur, vt est apud eundem Clementem: Et nunc respice super hunc famulum tuum, qui suscipit munus legendi populo sanctas scripturas, & da illi Spiritum sanctum, Spiritum propheticum,

*2. Esd. 8. qui Esdram *famulum tuum sapientem fecisti ad legendum legem populo tuo. Et nunc à nobis imploratus fac sapiẽtem seruum tuum, & tribue ei, vt opus commissum & iniunctum laudabiliter perficiat, vt maiore gradu dignus declaretur.

Sequitur

Sequitur deinde. Alios autem pastores & docto- »
res.) Sacerdotes dicit, vt quidam sentiunt, quibus dat Deus charisma docendi & gubernandi animas secundùm mensuram donationis suæ, quos à prophetis distinxit, quia non necesse est, omnes pa- »
stores Episcopos esse: quorum est, vt diximus, immò vt Clemens dixit, prophetare: est tamen necessarium, doctores esse: immò non solùm doctores esse, sic à docendi habitu dictos, sed hoc studiosè & assiduè facere. Hoc enim significat, quod idem Apost. ad Tim. scripsit, * vt hoc etiam obiter obserue- * 1. Tim. 3.
mus, oportere Episcopum (quo nomine Presbyterũ quoque intelligi voluit) esse διδακτικόν, id est, studiosum docendi, siue studio docendi deditũ. Fieri enim potest & solet, vt si aliquis διδάσκαλος, qui non sit διδακτικός. Sequitur, * Ad consummationem san- *Eph. 4.
ctorum in opus ministerij, ad ædificationem cor- »
poris Christi. Hic est finis Ecclesiasticæ hierarchiæ, vt diuinus Dionysius tradit, Deo scilicet, quoad fieri posit, similes fieri, cum eoque copulari, quod per charitatem erga eum efficitur, ac prius quidem à contrarijs omnibus recedere. Sic enim assi-
milati, coædificamur lapides * viui, & domus spiri- * 1 Pet. 2.
tualis, & membra viua corporis Christi efficimur. Hunc finem vocauit Apostolus καταρτισμόν, quod verbum vetus interpres vertit consummationem: sed verbum græcum magis rem ipsam declarat: significat enim καταρτίζειν, vnde illud deriuatum est, id quod mancum est, integrare: aut quod disiectum, coaptare: aut quod habet defectũ, corrigere. Ad hoc enim scripsit Paulus * reliquis- * Tit. 1.
se se Titum Cretæ hierarchã, vt quæ desunt (inquit)

corri-

corrigas, qui erat hierarchiæ eius scopus. Hunc finem idem Paulus clarius adhuc expreßsit in Epist. ad Colossenses, * cùm ait de se, docentes in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, in quo & laboro certando secundùm operationem eius, quam in me operatur in virtute. Est igitur finis Ecclesiasticæ hierarchiæ consummatio sanctorum, quam hîc dixit Apostolus, cui operam dāt omnes hierarchici ministri, vnusquisque secundùm virtutem charismatis sibi donati ad ministerium obeundū in ædificationem * corporis Christi. Exemplum huiusmodi consummationis est in Epistola ad Galatas * de eo, qui præoccupatus est in aliquo delicto, id est, qui peccauit συναρπαγείς. Sic enim beatus Cyrillus verbum græcum, quo hîc Paulus vtitur, interpretatus est: id est, si quis perturbatione quapiam correptus & anticipatus deliquerit. Vos (inquit) qui spirituales estis, instruite huiusmodi hominem in spiritu lenitatis. Eodem verbo græco vsus est hîc, licet aliter interpres verterit. Non enim dixit, consummate, sed instruite. Græcè est καταρτίζετε, quod perinde est, quasi diceret: quod in eo fractum est, integrate & aptate. Quod quidem faciendum erat, reconciliando cum Deo per peccati remißsionem, quod ad sacerdotes pertinebat, quos in eo loco vocauit πνευματικούς, sicut hodie etiam vocantur patres spirituales. Huiusmodi itaque peccata κατὰ συναρπαγήν, vt si dicamus, per surreptionem commissa, iubet Apostolus sine seueritate remittere. Declarat adhuc magis hunc sensum id, quod sequitur: * Alter alterius, inquit, onera portate: quod de tollendis peccatis,

*Colos. 1.
*Ephes. 4.
*Gal. 6.
*Gal. 6.

peccatis,ne ſine auctore,& quidem magno,loqui me aliquis exiſtimet,affirmat beatus Baſilius in regulis breuioribus. 78. & rurſus, 178. Sic quoq; intellexit Clemens Roma. auctor Apoſtolicus. Is enim hunc Pauli locum lib. 2. conſt. Apoſt. imitatus,& elegantiſſima ac breuiſſima paraphraſe interpretatus, cùm doceret ſacerdotem, quomodo, & qua prudentia, ac lenitate ſacramentum pœnitentiæ ei, qui deliquit, adminiſtrare deberet, ἐλάφρυνον (inquit) ἐν ἀφέσει, id eſt, leua onere, ſiue exonera eum in remiſſione.

Sed ſatis iam hîc finis Eccleſiaſticæ hierarchiæ expoſitus eſt,qui eſt ab Apoſtolo Paulo dictus conſummatio. Conferamus nunc cum eo vocationes miniſtrorum Lutheranorum & Caluinianorum. Si ea,quæ ad finē referuntur, ex fine dijudicanda ſunt, vt Philoſophi tradunt, profectò cùm hic finis ſupra naturam ſit,conſequens eſt,vt illæ quoque poteſtates ſupra naturam ſint, quæ in opus miniſterij ad hunc finem aſſequendum in Eccleſia poſitæ ſunt. Quomodo igitur populus eiuſmodi poteſtates conſtituere poteſt,& vocare in opus miniſterij in conſummationem ſanctorum? Quis non intelligit, eiuſmodi miniſterij poteſtatem, quam operatur Deus in virtute,chariſma ſpirituale eſſe: chariſma verò ſpirituale non poſſe,niſi à Deo ἀμέσως,vel à Deo per miniſtros ſpirituales dari? Spiritualia enim ſpiritualibus comparare docuit Apoſtolus, non vt Lutherani & Caluiniani faciunt, qui contra naturam rerum,& verbi Dei auctoritatem ſpiritualia humanis comparant,vt animales *homines, qui non percipiunt ea,quæ ſpiritus ſunt. Quæ Dei ſunt,inquit * 1 Cor. 2.

Apost., nemo cognoscit, nisi spiritus Dei, id est, quæ diuina sunt, non sciuntur, nisi per reuelationem scripturæ diuinitus inspiratæ, cui per fidem, quæ est donum spiritus, & non humanum aliquid, assentimur. Sic etiam quæ diuina sunt, non adipiscimur, neque possidemus per humanam potestatem, sed per spiritualem & diuinam. Itaque sicut in cognoscendis ac contemplandis diuinis, spiritualibus spiritua-
*1 Cor. 2. lia comparare oportet, sicut Apostolus docet, *id est, ad spiritualia & diuina spiritualem & diuinam scripturæ sanctæ reuelationem adhibere, sicut diuinus quoque Dionysius Paulum sequutus & interpretatus, in principio libri de diuinis nominibus tradit; sic in charismatibus siue donis Dei adipiscendis item spiritualia spiritualibus comparare necesse est. Necesse (inquit) est ad spiritualia charismata adipiscenda ministerium spiritualis potestatis adhibere. Non sicut Lutherani & Caluiniani magistri faciunt, qui (vt dixi) diuina cum humanis comparant, dum faciunt, tribuere populum potestatem ministrandi verbo & sacramentis, quæ in nobis est spirituale charisma, quod Deus posuit in Ecclesia ad consummationem sanctorum & corporis Christi
*Ephes. 4. *ædificationem. Quare audite Superintendentes &
*Actor. 8. ministri sectarij: vobis dicitur, sicut olim Simoni Mago, *Ministerium vestrum vobiscum sit in perditionem, qui existimastis, electione ac suffragio populi donum Dei possideri. Non est vobis pars in vocatione ista. Immò in eo saltem Simonem superatis, quòd ille potestatem dandi Spiritum sanctũ, quæ alioqui per Apostolos dari poterat à Deo, per Apostolos, tametsi pretio, quod nefas erat, habere

bere voluit: at vos potestatem ministrandi verbo & sacramentis, per vulgi aut magistratus potestatem, per quam nulla ratione aut modo dari potest, scelerate & frustra habere vultis. Si quis pretio ordinaretur, tametsi nefarie, tamen ordinatus esset. Neque enim illis assentiendum est, qui tempore Gregorij vij. & Vrbani male interpretantes, quod in Actis Apostolorum de Simone Mago scriptum est, *dixisse ei Petrum, Non est tibi pars neque sors *Actor. 8. in sermone isto, contendebant, Simoniace ordinatum, non esse ordinatum. Quod Petrus Damianus in libro de Ecclesiasticis institutionibus docte refellit. At vos nihil per eos, qui vos vocant, accipitis, neque accipere potestis, licet ad decipiendum populum accipere simuletis. Sed pergamus ad reliqua, prosequamurque locum Apostoli.

Explanatio illius, Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem filij Dei in uirum perfectum, & quae sequuntur. Et quod usque ad consummationem seculi, opus sit ministerio hierarchico ministrorum Ecclesiae. Et quomodo, ac qua ratione ad praesens seculum pertineat, occurrere in uirum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, quod quidem opere hierarchici ministerium perficiendum sit.

CAPVT XI.

Donec (inquit) occurramus omnes in vnitate *Ephes. 4. fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfe-" ctum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, vt" iam non simus paruuli fluctuantes, & circumfera-" mur omni vento doctrinae. Ne quis falso existima-" ret post aedificationem corporis Christi, quod sumus" nos, non esse amplius opus illis ipsis ministris in

Ecclesia positis in opus ministerij ad consummationem sanctorum, vt ex eiusmodi consummatis, tanquam viuis membris, corpus Christi conflетur: do-
» cet non ita esse, immò (inquit) positi sunt, donec
» occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis
» filij Dei. Hoc autem, vt fiat, prius prædicabitur, si-
* Matth. 24. cut scriptum est, *Euangelium regni in vniuerso or-
* Ioan. 11. be, & fiet vnum ouile, & vnus pastor: & tunc veniet finis. Huiusmodi ergo opus Ecclesiastici ministerij vsque ad consummationem seculi duraturum
*Ephes. 4. est. Quòd autem sequitur, *In virum perfectum
» ctum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: idcirco additum est, ne quis rursus falsò existimaret, non amplius huiusmodi hierarchia, ac ministerio hierarchico opus esse, vbi omnes crederent, vnamque fidem omnes haberent. Ergò ne vacabunt ibi hierarchici gradus atque ordines? erit ne ibi superuacaneum deinceps opus hierarchicum Ecclesiastici ministerij à Deo ministris impositum? minimè; quin immo (inquit) exercendum est, donec occurramus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, id est, donec qui creati sumus in Christo per sanctum baptismum, & in corpus eius ædificati, efficiamur grandes ætate spirituali. Vt enim est ætas corporalis, quæ maturitatem suam & firmitatem habet; sic secundùm analogiam est ætas quædam spiritualis, quæ granditatem suam habet ex incrementis charismatum, & processibus spiritualibus constantem, suumque robur. Est itaque ille ætate ista grandior, magisque accedit ad mensuram Christi alioqui inæquabilis, qui habet scilicet exercitatiores sensus ad discretionē boni &

& mali. Vnde non dixit Apostolus,* in mensuram ætatis Christi, sed dixit,* in mensuram ætatis plenitudinis Christi, iuxta illud Ioannis,* Et de plenitudine eius accepimus omnes, id est, in mensuram ætatis perfectæ caritatis *expellentis foras metũ. Sic enim sanctus Marcus anachoreta in parænesi ad Nicolaum interpretatus est. Robur huiusmodi ætatis virilis secundùm spiritum precabatur eisdem Ephesijs Apostolus, cùm paulò antè aiebat,* Huius rei gratia flecto genua ad patrẽ Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis corroborari in interiori homine per Spiritum sanctum. Adhoc item hortatur Propheta, cùm ait:* Viriliter agite, & confortetur cor vestrum. Subiungit deinde Apostolus, quid vtilitatis afferat occursus iste in virum perfectum: scilicet, ne simus *amplius paruuli, & circumferamur omni vento doctrinæ. Quod quidem vt dubitari non potest, quin ad hanc vitam referendum sit: sic neq; illud, vnde hæc vtilitas prouenit, occurrere scilicet in virũ perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi, relicta paruitate & inconstantia, ac leuitate sensus. Quem enim vocat Apostolus hoc loco virum perfectum, vocauit idem in Epist. ad Corint. priore* perfectum sensibus. Itaq; in altero sæculo non erit opus cauere, ne sic circumferamur, vbi non erit nequitia, quam Apostolus dicit,* neq; astutia, neq; peregrinæ & variæ doctrinæ. In hoc ergo seculo, in quo hæc sunt, cauere opus est, in quo præcepit idem Apostolus in Epist. ad Colossenses,* permanere in fide stabiles, atq; immobiles à spe Euangelij.

*Ephes. 4.
*Ioan. 1.
*1. Ioan. 4.
*Ephes. 3.
*Psal. 30.
*Ephes. 4
*1 Cor. 14.
*Ephes. 4.
*Colos. 1.

Sed quia hæc consequentia sermonis nonnullis fortasse non satis esse videbitur, ad probandum non

Ephes. 4. pertinere ad alterum seculum, illud, donec * occurramus, & quæ sequuntur, obseruemus rursus aliam rationem consequentiæ clariorem scilicet, tametsi non ita facilè ab omnibus aduertatur, propter hyperbaton Paulo Apostolo frequens ac familiare.
Ibid. Cùm ergo Apostolus dixisset, * donec occurramus & quæ sequuntur, subiunxissetq; vtilitatē, quam affert nunc hoc ipsum occurrere in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum per ministerium hierarchicum in Ecclesia constitutum, vtilitatem dico, ne simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ: rursus Apostolus illud superius, donec occurramus, cōtinuat, per hyperbaton inquiens, facientes autem veritatem, crescamus in illo per omnia, & quæ sequutur. Repetendum est enim illud, donec ἀπὸ κοινοῦ, quæ est frequentissima figura in scripturis, & in hyperbatis necessaria, vt sit perinde ac si diceretur: donec occurramus in virum perfectum, & donec facientes, veritatem, crescamus in illo per omnia. Ille enim modus subiūctiuus verbi crescamus, qualis est itē ille modus subiunctiuus verbi occurramus, vterq; pendet ex illa donec. quod melius intelligetur ab his, qui græcè sciunt. Si ergo quod hic ait Apostolus, donec occurramus, ad alteram vitam pertinere volunt & contendunt: quemadmodū eôdem pertinere poterit, quod idem Apostolus continuando subiecit, eodē modo subiūctiuo verbi vsus facietes autē veritatē, crescamus in illo per omnia, an
1 Pet. 2. in altero seculo crescēdi & proficiēdi erit potestas? Et quæ hoc scriptura dicit? Sanè quidē illud beati Petri epistola [eius prima] ad Ecclesiam, quæ in terris est, pertinet, vt in eo crescatis in salutem. Et in secunda

epiſtola: *Creſcite autem (inquit) in gratia: & quod *2. Pet. 3.
idem Apoſtolus in eadē epiſt. ad Epheſios, *loquēs, *Eph 2.
de hoc ipſo genere creſcendi per miniſterium eorum, quos Chriſtus in Eccleſia poſuit, Superædificati (inquit) ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto. Deinde ſubiungit, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. Igitur vbi non erit ædificatio, vt in cœlo, ibi non erit creſcendi ratio aut modus. Quia ergo dixerat Apoſtolus, *Do- *Epheſ. 4.
nec occurramus in virum perfectum, idq́ referebat ad hanc vitam, prouidens in ſpiritu hæreticos futuros, ne quis ſuſpicaretur, poſſe nos hic per miniſterium ſpiritualis ædificationis ad eam menſuram perduci, vt non amplius creſcere poſſemus, ac proinde non amplius illis architectis & ædificatoribus, quos Deus dedit Eccleſiæ, indigeremus, ſapiētiſsimè illud, quod ſequitur, addidit, *Veritatem autem facientes, *Epheſ. 4
creſcamus in illo per omnia. Dixit itaq́, veritatem facientes, quia ad hypocriſim, quæ eſt ſimulatio veritatis, pertinet videri velle, ad ſummum gradum vitæ perfectæ veniſſe, ita vt iam non ſit opus miniſtris Eccleſiæ ad creſcendum amplius in Chriſto. Nemo enim vſq́ adeò creſcere & euadere poteſt in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, vt non poſsit & debeat creſcere in Chriſto, cuius plenitudo gratiarum eſt infinita ac propria, de cuius plenitudine immenſa dat idem vnicuique ſecundùm menſuram.

Quomodo

Quomodo Lutherani & Caluiniani, tanquã paruuli, omni vento doctrinæ circumferantur, & in falsis dogmatibus semper fluctuent, quia repudiarint hierarchicas ordinationes: & quòd hæc sit causa, quòd nõ possint occurrere in vnitatem fidei: & quomodo non habeant Apostolos neq; Prophetas, neq; Doctores, quos Dominus dedit Ecclesiæ in opus ministerij. Et quomodo Lutherani & Caluiniani dogmata tradant, quæ non per multos Doctores Ecclesiæ, tanquam testes, audierũt, sicut Paulus præcepit Timotheo. Et ibi de dogmate falso, quod Gelasio Papæ tribuũt, de substantia panis & vini in Eucharistia. Item de dogmate falso non ornandi Ecclesias, quod auctoritate Ambrosij volunt confirmare. Et de dogmate tollendi imagines, quod S. Epiphanij auctoritate falsò probant. Et quòd non possint omnes Doctores Ecclesiæ in Ecclesiastico dogmate errare, idq; esse gratiæ Dei assignãdum. Item de doctrina scholastica, quam hæretici explodunt magno suo damno: & cur eam explodunt, & quæ eius vtilitas, & quomodo conflata, & quomodo perfectior effici possit. Et quomodo Lutherani neq; Doctores, quos vocant positiuos, neq; Doctores scholasticos, neq; Doctores Canonistas habent.

CAPVT XII.

HInc iam intelligi potest, cur Lutherani & Caluiniani magistri, tãquam paruuli, infirmis vestigijs vacillent, & in omnibus suis nouis dogmatibus fluctuent: cur tanquã nubes quædam sine aqua, vt Iudas Apostolus[a] hæreticos vocat, omni vento
Iude. 1. doctrinæ[b] circumferantur, & alios malitiosè & astutè
Ephes. 4. circumferant, errantes & in errorem[c] mittentes; cur
2. Tim. 3. inquam, non acquiescant[d] sanis Domini nostri Iesu
1. Tim. 6. Christi sermonibus, & ei quæ secundùm pietatem est, doctrinæ, superbi, nihil scientes: sed languentes circa quæstiones & pugnas verborum, sicut Apostolus

ſtolus de eorum ſimilibus ad Timoth. Hierarcham ſcripſit. Scilicet, quia hierarchicas ordinationes abiecerunt. Per has enim nos primùm Apoſtolos, qui primitias ſpiritus acceperunt, tùm Prophetas, deinde Euangeliſtas, Paſtores, & Doctores, quos tunc dedit Dominus, hodie in ſpiritu & virtute ad ædificationem corporis Chriſti in Eccleſia habemus. Per has et verbum, & ſpiritũ verbi ad nos deriuat Deus: per has ordinationes fit, vt verbum Dei non à nobis procedat, aut in nos ſolos perueniat, ſicut Apoſtolus * aduerſus falſi Euangelij prædicatores dixit, ſed ab ore Dei, & ore ſanctorum Apoſtolorum & Prophetarum procedat. Deniq; per has impletur, quod Dominus promiſit, & Iſaias prophetauit, cùm ait, * Spiritus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui. Perpetuam enim confeſſionem fidei, vt beatus Cyrillus ait, promittit hîc, nunquam in Eccleſia defuturam. Ad hoc autem efficiendum teſtatur Apoſtolus * per Spiritum Dei, quem habebat in ſe loquentem, dediſſe Dominum IESVM quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, ad ędificationem corporis Chriſti.

* 1 Cor. 14.

* Iſai. 59.

* Eph. 4.

Lutherani igitur & Caluiniani non poſſunt occurrere in vnitatem fidei, & in ea ita fixi & immobiles ſtare, vt non circumferantur omni vento doctrinæ, quia ſcilicet, abiectis ac repudiatis hierarchicis ordinationibus, neque Apoſtolos habent, vt ſtudio traditionis eorum per hierarchicos ſucceſſores deriuatæ ac deductæ teneantur: neque Prophetas

habent, à quibus difficiles & arcanas scripturæ sanctæ interpretationes requirant, qui omnes scripturas apertas esse & interprete non indigere profitentur: neque habent doctores sanctos, quos Patres vocare solemus, vt quæ per eos tanquam per multos testes audierunt, hæc alijs tradant (quod nos secundùm Pauli præceptum,* facere solemus) ac non potius doceant, quod aut per nullum audierunt, aut per vnum aut alterum audisse somniarunt. Vt, exempli causa, quod fingunt dixisse Gelasium Papam, substantiam panis & vini permanere in Eucharistia: quod quidem non Gelasium Papam dixisse, euidentissimis argumentis demonstrauit nuper Melchior Canus Episcopus Canariensis lib. vi. de locis theologicis. Sed si verum & catholicum dogma est hoc, ostendant nobis, per quos multos testes hoc in Ecclesia Dei audierunt, vt sic alijs tradant. Non enim scripsit Paulus Timotheo,* & per eum nobis, quæ per nonnullos testes audisti, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, vt alios doceant: sed quæ per multos testes (inquit) audisti. Et de Ambrosio, Pater erat, inquit Caluinus, qui dixit, sacra aurum non quærere, neque auro placere, quæ auro non emuntur: In his tribus generibus scripsit idem Pater in eodem loco secundi libri de officijs, vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licere, scilicet vt pauperes viuant, captiui redimantur, templum Dei ædificetur. Extra has ergo necessitates: splendorem & magnificos apparatus Ecclesiarum probabat sanctus Pater. Quare visus est mihi Caluinus dicere cū Iuda fure & proditore,* Vt quid perditio ista vn-

*2 Tim. 2.

*ibidem.

*Matth. 26.

guenti

guenti facta est? quare hoc vnguentum non venijt *Ioan. 12.*
trecentis denarijs, & datum est egenis? Sed si cum
Caluino, qui in splendorem & magnificentiam ædium sacrarum impiè inuehitur, facit sanctus doctor & pater Ambrosius, estque catholicum dogma, non esse ornandas Ecclesias, vt Lutherani & Caluiniani cum Manicheis volunt, producant multos testes sanctos Patres, per quos hoc in Ecclesia audierint, quod in dogmate catholico necesse est: & cedemus.

Simile est, quod de sancto Epiphanio ijdem somniant, prohibuisse cultũ imaginum, cũ velum, quod in foribus pendebat, in quo erat imago nescio cuius sancti picta, sustulit: quod quidẽ ideò fecit, quòd ad cultum & religionem imaginum pertinebat, habere eas honesto & decenti loco positas: cuiusmodi locus non videbatur ei velum in foribus templi pendens, quod est ingredientibus & egredientibus manu frequenter reducendum. Non sunt conquesti illius loci habitatores de S. Epiphanio, quòd imaginem sustulisset, sed quòd prò velo sublato, in quo imago erat, aliud saltẽ sine imagine non dedisset, quod tandem misit, postquam querelam eorum audiuit, vt ex ipsa epistola intelligi potest. Sic. n. scripsit ad Ioannem Hierosolymitanum: Nunc autem misi, quod potui reperire: & precor, vt iubeas Presbyteris eiusdẽ loci suscipere velum à latore, quod à nobis missum est, & deinceps præcipere in Ecclesia Christi istiusmodi vela, quę contra religionem nostram veniunt, nõ appendi: & quæ sequuntur. Hic Caluinus more suo impudentissimè finxit, sic Epiphaniũ scripsisse, horrendum esse videre abominationẽ depictam vel

Christi, vel sancti vllius imaginē in Christianorum templis. Simili ratione prohibet sexta synodus Constantinopolitana. c. 73. ne crux Christi in pauimento sculpatur, ne pedibus inambulantium teratur. Parum verò interest, an propter necessitatē ambulādi in templo, imago sancta pedibus terenda sit: an propter necessitatem intrandi in templum, manibus. Eadem ratione prohibuit Concilium Illibertanum, ne imagines in parietibus pingerentur, propter reuerentiā scilicet. Alioqui cur non prohibuit, ne in tabulis, quę religiosè custodiri possunt? Quę. n. in parietibus pictæ sunt, hæreticorum ludibrio & impietati expositę sunt: nec si tempus requirat, facile auferri aut recludi possunt. Sed si hoc est de non adorandis imaginibus catholicū dogma, vt hęretici volunt, non contenti vno doctore, ostendant nobis secundū pręceptū Apostoli, * per quos multos doctores testes hoc audierūt. Sed in hac parte rectè secum consentiunt. Quia. n. opinantur omnes doctores testes falli posse, nihil apud eos refert, vnū doctorē testem, an plures citare. Apud nos verò permultū refert, qui sic de eis existimamus, non posse omnes labi in Ecclesiastico dogmate, idque assignamus gratiæ Dei, quę effecit, vt in eadem regula fidei & doctrinæ, quam à principio acceperunt, spontè permanerent, ne errare possent: ita vt si quid aliquando aliter sentirent, sicut Apostolus ait, * hoc illis Deus reuelaret, scilicet secundùm regulam illam, in qua permansissent. Sic igitur factum est, vt Lutherani & Caluiniani non habeant (vt dixi) doctores sanctos, quos Deus dedit Ecclesiæ. Neque rursus habent doctores Scholasticos, vt ab eis discant & veritatem

* 2 Tim. 2.

* 1 Cor. 14.

tatem astringere, ne extorqueatur, aut sophisticè surripiatur; & quid consequens, quid repugnans sit, sciant concludere: quin potius Theologiam scholasticam sophisticam esse tradũt, & inanem philosophiam, ac verbum Dei argutijs eius contaminari.

Sanè quidem Dionysius Areop. Pauli Apostoli discipulus duplicem esse Theologiam in epistola ad Titum tradit, alteram quidem arcanã & mysticam, eandemq́ symbolicam, quæ per integumenta rerum aut verborum procedit. Ad hanc pertinent visiones Prophetarum & eorum omnium, quæ in veteri testamento per allegoriam dicta sunt doctrina, vt de natura diuina, de Angelis de moribus, de futuris tũc sacramentis nouæ legis: item illa de Deo symbolicè dicta, dormire, vigilare, ebrium esse, & similia verborum inuolucra ποιητῶς formata: alteram verò apertiorem, eandemq́ philosophicam & demonstrantem. Hanc dicit, habere vim ad suadẽdum astringendãq́ veritatem eorum, quæ dicuntur. Hęc enim tum aiendo, tum negando ex ijs, quę sine symbolicis velamẽtis vel videntur, vel verbis proprijs, aut translatis dicuntur, veritatem demonstrat, vtens instrumento Logices, quæ huic Theologiæ philosophicæ ac demonstranti, siue in actione versetur, quæ Practice dicitur, siue in cognitione, quæ Theoretice, necessaria est ad discernendum verum à falso, rectum à prauo: quia distinguit, diuidit, definit, componit, nectit, sumit, concludit. Hæc autem spinosiora sunt & subtilia, idcirco Theologia ista demonstrãs molesta est tardis & inertibus: ijs verò, qui veritatem ignorare volunt, etiam odiosa. Hęc igitur Theologia, quam diuinus Dionysius philosophicam & demonstrantẽ

vocat

vocat,quia in ſcholis doctorum diſcitur, ſcholaſtica nominata eſt. Hanc verò,qui ſophiſticam appellant, & inanem philoſophiam, ſatis demonſtrant ex eorum numero ſe eſſe, quos Apoſtolus ait,* conuerſos in vaniloquium,velle eſſe legis doctores, non intelligentes quę loquuntur,neq; de quibus affirmant. Quomodo enim inanis Philoſophia eſſe poteſt, quæ inanem philoſophiam redarguit & prodit? aut quomodo Sophiſtica,qua qui careat,facilè falſis hæreticorum argumentis decipiatur? vt pleriq;, qui ea caruerunt,decepti ſunt. Vtitur enim ſemper artificio Logices,quæ non ſolùm docet,quod verum & quod probabile eſt concludere, ſed etiam quomodo fallaciæ argumentorum dignoſci aut vitari poſsint, ſiue ex verbis,ſiue ex rebus ipſis ſignificatis exiſtant. Immò verò ſolent hæretici ſophiſtice vti, quam Apoſtolus κυβεία vocat,*ad circumuentiōem erroris, vt Clemens Alex. lib. iij. Stromatum notauit. Interpres latinus aſtutiam vertit,translato verbo græco,vt ait Theodoretus ab ijs,qui talis ludunt, quos huc (inquit) & illuc iacere ſolent, in eiuſmodiq; actibus callidè agere. Itaque ſicut non quiuis fraudem in iactu tali deprehendit, ſed is,qui peritus eſt, & arte inſtructus: ſic fallaces hæreticorum concluſiones ſcholaſtica Theologia facilè deprehendit & redarguit.

1.Tim.1.

Ephes.4.

Vt exempli cauſa,cùm hæreticus ait, Chriſtus dixit,*Me autem non ſemper habebitis:ergo non habemus eum in Euchariſtia. Reſpondet Theologia ſcholaſtica, latere in hac ratione fallaciam , quia ex eo, quod nudè & ſimpliciter dictum eſt,ſcilicet,Me non ſemper habebitis, concluditur, quòd non nudè & ſimpli-

Matth.26.

ſimpliciter,ſed quomodo,& vbi;ſcilicet non habebitis in Euchariſtia. Itaque quia dixit,*Pauperes vobiſcum ſemper habebitis,me autem non ſemper habebitis: nihil addendo,quomodo,aut vbi non habebitis,licet interpretari,nō habebitis me, ſcilicet quomodo pauperes habebitis. Habemus enim eos ſimiles nobis,paſsibiles, quibus miſericordiam tribuere poſsimus. Sic autem Chriſtum non iam habemus. Nam etſi Chriſtum cognouimus ſecundùm carnem, ſed iam nō nouimus.Item ait hęreticus:*Spiritus eſt, qui viuificat,caro autem non prodeſt quicquam: ergo non eſt in Euchariſtia,quia nihil prodeſſet.Reſpondet Theologia ſcholaſtica, latere in hac ſophiſtica argumentatione fallaciam compoſitionis. Cùm enim dixit,Spiritus eſt qui viuificat,caro non prodeſt quicquam, carnem dixit ſine ſpiritu,hoc eſt, ſine diuinitate. Cùm ergo concluditur,Ergo non prodeſt quicquam caro in Euchariſtia,perinde eſt, quaſi concludatur,ergo non prodeſt quicquam caro cum ſpiritu.

*Ibid.

2. Cor. 5.

*Ioan. 6.

Hæc igitur cauſa eſt, cur hæreticis Theologia ſcholaſtica odioſa ſit: & cur ſcholaſticos Theologos repudient, quia eorum aſtutiam, * qua ad circumuentionem erroris vtuntur, facilè redarguit ac refellit: veritatem alligat, & ei fidem adhibere facit. Hæc autem, tametſi ea antiqui doctores vterentur, hac enim inſtructi ac pręmuniti hæreticos confutabant,& veritatem defendebant: nondum tamen in ſcholis tradebatur, donec multis regulis obſeruatis,& omnia ferè, quæ ei ſubiecta ſunt, quæ in libris ſanctorum Patrum diſperſa erant, de Deo trino & vno, de creatione, de homine & vita beata, de virtutibus,quibus ad eam tenditur,

*Ephes.4.

de

de vitijs quibus receditur, de redemptione, de mysterio incarnationis, deq; ijs omnibus, quæ ad illud pertinent, postremò de sacramentis, quibus redemptionem participamus, certis capitibus & locis dispositis ordine distincta, & in quatuor libros digesta ac distributa sunt, qui sunt libri sententiarum inscripti: quòd ex sententijs sanctorum doctorum conflata theologica doctrina in eis tradatur. Itaq; ex studio ac disciplina huiusmodi Theologiæ instituta est schola, & ab schola, ea ipsa Theologia postea dicta scholastica: licet hanc postea nonnulli (dicendum est enim apertè) multitudine inutilium quæstionum, & nimis curiosa ac difficili subtilitate adeò implicarũt, prætermissis interim, quæ ad sciendum necessaria erant, vt scholasticæ Theologiæ studium & nomen inuidiosum facerent. Denotauit istos S. Thomas totius scholæ spectatissimus, in graui & vtilissimo procœmio primæ partis summæ Theologicæ. Verùm hoc doctorum est vitium, non doctrinæ.

Illud etiam addã, perfectiores in scholastica Theologia plerosq; futuros, si vterentur ἀναλύσει (quam interpretari solent resolutionem) non in sententias patrum solas, sed in ipsas scripturas sanctas, & Apostolicas traditiones, vt plenius & esset, & diceretur Theologia demonstratiua. Tametsi non sit dubitandum, sententias patrum, quæ in Ecclesia catholica prædicantur & docentur, aut ex scripturis, aut ex sermone Apostolorum proficisci, & ad regulam fidei spectare. Fecit hoc ex parte Ioannes Damascenus, qui non contentus sententias dogmaticas catholicæ Ecclesiæ de illis ipsis, quæ Theologia nostra Scholastica ad huius auctoris exemplum composita continet,

net, quatuor quoque libris comprehendisse, παράλληλα scripsit, in quibus illas ipsas Theologicas conclusiones ad scripturæ sacræ fontes reuocat. Fecerunt & hoc ante eum alij, quos ille imitatus est, vt Leontius Cyprius duobus voluminibus, altero τῶν θείων, quod nondum ad manus meas venit: altero τῶν ἀνθρωπίνων, quod venit. Attulit ad hanc partem Theologiæ magnum adiumentum, vt hoc quoque obseruandum sit, Clemens Romanus, qui ὅρους τῶν ἐκκλησιαστικῶν δογμάτων scripsit. Necessariò igitur huc digrediendum fuit, vt ostenderem, Lutheranis & Caluinianis, quid repudient, cùm doctores scholasticos repudiant. Non enim sophisticam & inanem philosophiam, vt ipsi putant, & dictitare solẽt, sed illam partem Theologiæ aspernantur, quæ demonstratiua dicitur, quæ grauissima est, & vtilissima, ac maximè necessaria. Iã verò doctores Canonistas, quos vocamus, quorum scientia est de moribus ecclesiasticis, qui ecclesiasticis canonibus constituti sunt, quomodo habere possunt, qui mores Ecclesiæ mutarunt? Quia igitur Lutherani doctores, quos Deus dedit Ecclesiæ, non habent, in illorum numero necesse est eos esse, quos Apostolus * vocat semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. * 2. Tim. 3.

De remedio ex hierarchicis ordinationibus proficiscente, quo semper usa est Ecclesia Catholica aduersus peregrinas & uarias doctrinas exemplo Apostolorum: admonitio ad Catholicos habitantes inter Lutheranos, & de prima apud Germanos prædicatione fidei; & de magno Bonifacio, quatuor Pontificum Romanorum legato.

CAPVT XIII.

NOs verò cùm aliquid dubitatur, quod ad fidem, aut ad sanctitatem morum scire omnes oporteat, quia scriptura sancta non est per se satis clara & aperta, sicut Lutherani mentiuntur, eos, qui illis quos Deus dedit, hierarchicè successerunt, interrogamus. Patriarchas dico, Archiepiscopos, Episcopos, ac reliquos pastores & doctores. Hi enim à primo Hierarcha, qui est pontifex Romanus, in vnū conuocati, vt omnia in Ecclesia, sicut Apostolus
* 1. Cor. 14. præcipit,* ordine fiant, quidnā à primis illis per eos, qui deinceps alijs atq; alijs temporibus per alias atq; alias regiones successerunt, audierint & didicerint, conquirentes ac conferentes, mirabili concentu atque ordine alij prophetant, obscura scripturarum secundùm rationem fidei interpretantes: alij euangelizant, annunciantes, legentes & recitantes, quæ
* 2 Pet. 1. Spiritu sancto inspirati* loquuti sunt sancti Dei homines: alij docent, quæ ad sanctè pieq; viuendum pertinent, ostendentes. Quæ omnia nuper in sancta synodo Tridentina diuinè tractari & exerceri vidimus. In hunc modum decreta, de quibus oportet, in Spiritu sancto ab illis constituuntur. Sic fit, & factū semper est, vt Ecclesia nostra catholica in dogmati-
* Ephes. 4. bus nostris non fluctuet, neq; circumferatur * omni vento doctrinæ, neq; paleam cum tritico, sicut ait Ie-
* Ierem. 23. remias,* id est, mendacium cū solida veritate, admixtum habeat. Hoc hierarchicum remedium semper à principio aduersus peregrinas & varias doctrinas adhibitum est, quoties exierunt ex nobis, sicut sancti
* Actor. 15. Apostoli dicunt, * qui turbarent nos verbis, euertentes

tentes animas nostras. Hoc hierarchicum remedium exemplo suo sancti Apostoli Hierosolymis, vnde iuxta prophetiam Isaiæ * exiuit verbum Domini, *Isa. 2. hierarchicè sanxerunt & dedicarunt, cũ surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum, qui tradebant oportere *circumcidi, præcipere quoque legem Moysis seruare: conueneruntq; Apostoli & seniores videre de verbo hoc. Illic Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, pastores & doctores fuerunt: illic prophetauit beatus Petrus princeps Apostolorum interpretans, sicut Clemens lib. vi. const. Apost. narrat, ex illo velut linteo * magno quatuor initijs submisso ex cœlo, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli, neminem communem aut immundum dicere hominem: idemq; fuit ibi Euangelista narrans, quemadmodum perhibuisset Deus testimonium, dans illis, Cornelio scilicet & ijs, qui cum eo erant, Spiritum sanctum, nihilque inter eos discreuisset, fide purificans corda eorum. Ibi prophetauit Iacobus frater Domini, interpretans prophetiam Amos de vocatione gentiũ, cùm ait, *Et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est: * Post hæc reuertar, & quæ sequuntur. Ridebunt Lutherani & Caluiniani, quòd nostris hierarchicis ordinationibus tantum tribuamus: sed mirandum nõ est, si rideãt. Nisi enim crediderint, sicut ait Propheta, * non intelligent. Sic de quibusdam in Ecclesiastica hierarchia dixit diuinus Dionysius: Nos verò, quos per Apostolũ suũ Paulũ docuit Deus, cui credimus. Scimus charismata esse ista Ecclesiasticorũ ministrorum, quæ à Deo hierarchicè per impositionẽ manuũ tribuuntur vsq; ad consummationẽ seculi duratura,

*Act. 15.
*Act. 10.
*Actor. 15.
*Amos 9.
*Isai. 7.

quæ secundùm operationem Dei, quam operatur in ipsis ministris, virtutem habent ad aptandum fideles
*Eph. 4. in ædificationem * corporis Christi.

Quia igitur, vt iterum dicam, sciebat Apostolus post discessum suum Epheso, ingressuros esse, sicut
*Act. 20. idem prædixit, * lupos rapaces non parcentes gregi, futurosque viros, qui peruersa loquerentur, vt abducerent discipulos post se, idcirco commodùm eos in epistola, quam postea ad eos scripsit, admonuit de ijs, quos Deus per gratiam suam dedisset Ecclesiæ ad tradendam ac defendendam sanam doctrinam, quos sequi deberēt: Apostolos dico, Prophetas, Euangelistas, pastores, & doctores. quæ perinde erant, quasi diceret, Venient lupi, ô Ephesij, vt mactent & perdāt: sed vos ne à pastoribus vestris recedatis, vt vos custodiant. Exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se: sed vos sequimini doctores, quos Deus dedit Ecclesiæ. Isti loquētur διεστραμμένα more hæreticorum, qui scripturas sanctas deprauant; sed vos attēdite eos, quos Deus dedit ad interpretandū obscura scripturarum, qui sunt in Ecclesia prophetę, & quos dedit ad euangelizandum, id est, narrandū sermones Dei. Ac quia hęretici vafricie & imposturis ad circumueniendū vtuntur, sicut Apost.
*Ephes. 4. in hac ipsa epist. ad Ephesios ait, * In malitia & astutia ad circumuentionē erroris; idcirco eosdem Ephe-
*Act. 20. sios in actis Apostolorum * monuit, vt vigilarent, id est, vt ne se per incuriam ac negligentiam decipi paterentur. Pręterea quia hęreticorum est, noua tradere, iubet vigilare & meminisse, quòd per triennium die & nocte nunquam cessasset, cum lachrymis vnumquemque monere.

Trans-

Transferamus ergo hæc, & accommodemus ad eos Catholicos, qui inter Lutheranos habitant, moneamusq́ eos similiter, vt vigilent, memoresq́ sint, per octingentos annos, & amplius, ex quo Germania fidem Christi cœpit, nunq̃ cessasse prędicatores monere eos, vt teneant Euangelium, quod à principio eis prædicatum fuit. Cogitate itaq; pastores Apostolosq́ vestros à mortuis excitari, vobisq́ ad exemplum Pauli dicere,* VIGILATE, memoria retinentes, quoniam per octingentos annos die ac nocte non cessauimus monere vnũquemq́ vestrum in Ecclesia, vt scilicet permaneatis in ijs, quæ didicistis, & credita sunt vobis. Neq; defuissent illis primis lacrymæ tunc, cùm à principio monebãt, si per Spiritum propheticũ futura præcognouissent, vt Paulus se præcognouisse dicit. An non est res luctu & lacrymis digna, quòd vos Lutherani & Caluiniani à principio didicistis, & maiores vestri tot seculis tenuerunt, hoc nouissimis diebus reliquisse & repudiasse? & disciplinam vix quadraginta annos natam amplectentes, patres vestros sanctos, ac sapientes sacerdotes, inscitiæ & impietatis condemnasse? ac pro illis magistros nouos ventri & auaritiæ deditos audire, id est, relictis pastoribus, lupos sequi maluisse? Memores igitur estote, memores inquam estote, sicut Apostolus ait,* prępositorum vestrorũ, in quorum exitum intuentes, imitamini fidem. Videte, quid dicat & glorietur in Domino magnus ille Bonifacius, siue Vuinfredus, cognomento Bonifacius, natiõe Anglus, sanctiss. atq; eruditiss. vir, ac primus vestræ Germaniæ Apostolus, qui se in epistola ad Stephanum secundum testatur, per xxxvi. annos

* Actor. 20.

* Heb. 13.

ſub duobus Gregorijs ij. & iij. & Zacharia pontificibus legatione Romana apud vos pro conuerſione gentis veſtræ functũ eſſe. Audite (inquam) quid dicat & glorietur, in epiſtola ad Buggam Abbatiſſam cupientem ire ad limina Apoſtolorum, nuncians de Germaniæ ſtatu: Fidem (inquit) antiquam inter nos nunquam deficere ſcias. Quòd verò fidem antiquam vocet, fidem ſcilicet Eccleſiæ Romanæ, cùm ex alijs pluribus eius epiſtolis intelligere licet, tum ex epiſtola ad Gudbertum Archiepiſcopum Angliæ: Decreuimus (inquit) in noſtro Synodali conuentu, & confeſſi ſumus, catholicam fidem, & vnitatem ac ſubiectiõem Romanæ Eccleſiæ, ſine tenus vitæ noſtræ velle ſeruare, ſancto Petro & Vicario eius velle ſubijci, ſynodũ per omnes annos congregare, & per omnia, præcepta S. Petri canonicè ſequi deſiderare, vt inter oues ſibi commendatas numeremur. Et iſti confeſſioni vniuerſi cõſenſimus & ſubſcripſimus, & ad corpus S. Petri principis Apoſtolorum direximus. Quod gratulando clerus Romanus & Pont. ſuſcepit. Et paulò pòſt, recitatis pluribus illius Synodi ſanctiſsimis ſanctionibus, ſtatuiſſe etiam dicit, vt vnuſquiſque Epiſcopus, ſi quid in ſua diœceſi corrigere vel emendare non poſset, idem in ſynodo coram Archiepiſcopo, & coram omnibus ad corrigendum inſinuaret. Eodem modo (inquit) quo nos Romana Eccleſia ordinatos ſacramento conſtrinxit, vt ſi ſacerdotes vel plebes à lege Dei deuiaſſe viderem, & corrigere non poſſem, fideliter ſemper ſedi Apoſtolicæ, & Vicario ſancti Petri ad emendandum indicarem, &c. Licet præterea ex alia eiuſdem Bonifacij epiſtola intelligere, non eſſe dogmata

gmata Lutheranorum vetera, vt auctores Centuriarum mentiri nituntur, sed nouella ac recentia. Scribens enim ad Danielem Episcopum de labore suæ apud Germanos prædicationis, tùm de falsis doctrinis, quæ pariter cum catholica sua prædicatione à falsis magistris tradi cœpissent, nusquam de ijs dogmatibus, quæ nunc Lutherani profitentur, meminit. Sunt itaq; (inquit) nobis iuxta dictum Apostoli *nō solùm foris pugnæ, & intus timores, sed etiam intus pugnæ cum timore maximè semper per falsos sacerdotes & hypocritas, qui & Deo aduersantur, & sibi perduntur, & populum per plurima scandala & varios errores seducunt, dicentes populis iuxta dictum Prophetæ, *Pax pax, & non pax: & semen verbi, quod de sinu Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sumptum, & nobis commendatū seminare aliquantulum studemus, illi cū lolio superseminare & suffocare nituntur, vel in herbam pestiferi generis conuertere: & quod plantamus, non irrigant, vt crescat, sed euellere student, vt marcescat, offerentes populis & docentes nouas sectas, & diuersi generis errores. Quidam melle & lacte propriè pascentes se, panem & cæteros abijciunt cibos: quidam autem affirmant, quod plurimùm nocet populo, homicidas vel adulteros, in ipsis sceleribus perseuerantes, fieri tunc posse sacerdotes. Populi autem, iuxta dictum Apostoli, *sanam doctrinam non sustinebunt, sed coaceruabunt sibi magistros secundùm sua desideria, & quæ sequuntur.

*2. Cor. 7.

*Ierem. 6.

*2. Tim. 4.

Cum

Cùm Paulus Ephesò discedens, dixit Ephesijs: Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius, quid vocarit verbum gratiæ Dei. Et quòd Lutherani non habeant tale verbū, qui hierarchicas ordinationes repudient, neq; tali verbo gratiæ Dei poßint commendari. Et quòd non sit tradendum solum & purum verbum Dei sine interpretatione. Et quomodo necesse sit continuatam esse veritatem Euangelij iam inde ab Apostolorum prædicatione. Et quomodo cognoscendum sit, quod sit verbum gratiæ Dei, docuisse Apostolum in epistola ad Philipp. & explanatio illius loci: Si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit: Veruntamen ad quod preuenimus, vt idem sapiamus, & in eâdem regula permaneamus. Et de astutia peruersa Centuriatorum in mentienda successione antiqua falsorum dogmatum.

CAPVT XIIII.

SEd redeamus iam ad Apostolum Paulum, videamusq́, quid ad extremum discedens, Ephesijs dixerit, *Et nunc inquit, commendo vos Deo & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare hæreditatem in sanctificatis omnibus.) Verbum gratiæ Dei vocauit verbum, cui ministrabant Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, pastores & doctores secundùm dona, quę ascendens *Dominus in altum, sicut Apostolus ait, *dedit eis ad ædificationem corporis Christi in hæreditatem in corruptibilem conseruatam in cælis. Quomodo autem ministrabant verbo gratiæ ipsius Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, pastores & doctores, quos Dominus dedit in opus ministerij, nisi interpretando difficilia & obscura, quod erat prophetarum, & secundùm interpretationem prophetarum prædicando, quod est doctorum? Quòd si non opus erat interpretatione,

*Actor. 20.

*Psal. 67.

*Ephes. 4.

sed

sed solum & purum Dei verbum, vt Lutherani se profiteri iactant, ab illis tradebatur, quid opus erat prophetis? satis erant Euangelistæ, quorum suisset narrare, & textum purum, sicut isti dicunt, recitare. Quòd si dedit Deus Ecclesiæ Prophetas, sicut Apostolus testatur, * ij autem interpretes sunt eorum, *Ibid. quæ in scripturis sunt obscura, consequens est, vt necesse sit ad vnitatem fidei, & veritatẽ vitæ diligenti studio inquirere, quem sensum scripturarum docuerunt in locis obscurioribus, ijs præsertim, qui ab hæreticis deprauari & possunt, & solent, tum illi, quos Dominus per se primùm, vt fuerunt Apostoli, tum illi, quos idem Dominus per ipsos illos Apostolos ordinauit: quem, inquam, sensum nobis quasi per manus per eos tradiderunt, qui illis ipsis vsq; ad nostra tempora alijs atq; alijs temporibus & locis successerunt.

Quod si Lutherani solum & purum Dei verbum se profiteri non falsò iactant, quorsum, inquit Staphylus Prusiensis, tot illorum postillæ, tot commentarij, tot loci communes, quibus scripturam explanant, tot deinde ordinationes ecclesiasticæ, quarum inquit, neque modus vllus est, neque finis? An sunt hæc ipsum Dei purum verbum, an potius cogitationes concionatorum? Si cogitationes concionatorum, quare inquit, damnatis in nobis, quod ipsi facitis? cur nostris explanationibus fidem derogatis, vestris astruitis? qua de causa vestri loci communes, vestra confessio pro humanis traditionibus non debet haberi, concilia & scripta sanctorũ patrũ debeant? Sin alterum illud vultis, cur inquit, non solùm scripturæ textum, vt Rutteni faciunt, re-

citatis? Hæc ab illis Staphilus quærit. Quare cùm Lutherani & Caluiniani neque habeãt legitimos verbi ministros, id est, hierarchicè ordinatos, neque Apostolicam traditionem propheticæ interpretationis scripturarum, neque credant, continuatam esse veritatem Euangelij à principio vsque in hunc diem, non possunt commendari Deo & verbo gratiæ ipsius, neque possunt eo ædificari in corpus Christi, vt sanctificati & ædificati, hæreditatem cœlestem adire possint. Non dixit Paulus Apostolus Ephesijs, cùm discederet, * Commendo vos Deo, & verbo sensus vestri, sed verbo gratiæ ipsius, verbo scilicet, quod ab eo per triennium secundùm sapientiam ei datam, sicut ait beatus Petrus, * prædicari audierant. Hoc inquam, vocauit Paulus, verbum gratiæ ipsius Dei.

*Actor. 20.

*2. Pet. 3.

Quòd si non necesse erat, vt semper veritas Euangelij iam inde ab Apostolis continuaretur, vt passim Lutherus in ijs, quæ de Ecclesia, & contra Papatũ scripsit, tradit, & Philippus Melancthon in locis, & alias, quorsum Paulus Deo & verbo gratiæ ipsius Ephesios commendat? Vbi istud verbum gratiæ Dei reperiendum erat, vt cæci isti tradunt, si veritas Euangelij modò hic latitat, modò illic? si aliquando, vt ipsi aiunt, penitus extincta nusquam apparet, & tandem suscitatur, vt à Luthero factum esse gloriantur? Scriptura, inquit beatus Hieronymus auctor sanctiss. & in scripturis sacris exercitatiss. non in verbis, sed in sensu consistit. Tu Luthere, aut Caluine, hunc sensum habere dicis, ego illum. Tu verbum cum sensu, quem illi subiectum doces, verbum gratiæ Dei dicis; ego rursus idem verbum cum

cum sensu, quem ipsi illi verbo subiectum doceo, verbum gratiæ ipsius dico: quo modo scietur, tuúmne verbum cum sensu tuo, an idem verbum cum sensu meo, sit verbum gratiæ ipsius? Nos quidem scimus, quia idem sentimus omnes, & in eadem regula fidei & Euangelicæ prædicationis permanemus, ad quam à principio venimus.

Sic Paulus Apostolus cùm optaret Philippensibus, vt starent vnanimes in vno spiritu, id est, in vno sensu verbi Dei, collaborantes fidei Euangelij, hortareturq́; , vt idem sentirent, neque darent locum his, qui ex circumcisione legem cum Euangelio coniungere volebant, id est, iustitiam, quæ est ex lege, cum iustitia ex fide Christi: Quicunque ergo inquit, * perfecti sumus. τελείους enim vocat τοὺς μεμυημένους. Perfectos inquam, vocat comparatione Iudæorum, baptizatos in Christo, qui iam tanq̃ filij Dei non amplius sub *pędagogo, hoc est, sub lege esse debebant: sed potius hoc sentire, quod idem Apostolus paulò suprà dixerat se fecisse, nempe legem, tanq̃ inutilem iam & ociosam, post aduentum Christi relinquere. Deinde subiungit, * Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Sed quomodo reuelabit? sic scilicet, si interim à regula fidei, & prima Euangelij prædicatione non recedatis. Verùm tamen inquit, ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. Regulam (inquit Theodoretus) vocat euangelicam prædicationem. Et beatus Ambrosius, regulam disciplinæ in conuersatione fidei. Photius Constantinopolitanus, eruditus & acutus interpres, in eadem permanere regula interpretatur, idem sentire

* Philip. 3.
* Gal. 3.
* Philip. 3.

tum in vita degenda, tum in doctrina. Theophilactus eandem regulam, eandem fidem, & easdem diffinitiones esse dicit. Smaragdus abbas, auctor antiquus, in diademate monachorum c. 74. regulam interpretatur fidem catholicam. Beatus Hilarius sic hunc Apostoli locum lib. xi. de Trinit. vertit: verumtamen ad quod festinauimus, in ipso ingrediamur. Sed quia prius dixerat Apostolus, Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit, ac postea praecepit permanere in sensu primae praedicationis, ne quis existimaret, posse reuelationem illam, quam Paulus dixerat, discrepare ab illa priore regula, subiungit idem Hilarius, interpretans totum locum, Monet, inquit, in id festinare, in quo ingressi fuerāt, vt relicto primo ignorantiae sensu, secundum propositae festinationis sensum, reuelationem perfectae intelligentiae consequantur. Haec beatus Hilarius. Iubet ergo Apostolus in ea regula fidei catholicae, & in ea Euangelij praedicatione permanere, ad quam primùm venerunt. Hoc enim significat verbum φθάνειν τὸ προλαμβάνειν, quod in alio loco interpres latinus vertit, praeuenire, vt cùm ait,* Non praeueniemus eos qui dormierunt. Qui igitur constanter in regula Euangelici sensus, qui ab Apostolis traditus est, permanere ac perseuerare vult, huic, si quid aliter aliquando sapiat, Dominus aperiet sensum, vt intelligat secundum eam veritatem, ad quam festinauerat, ac praeuenerat, in qua permanere vult. Nihil enim (ait doctus Tertullianus in libro de immortalitate animae) recipiendum est, quod non conspiret germanae, & ipso iam aeuo probatae propheticae paraturae. At Lutherani & Caluiniani de verbo,

*1 Thess. 4.

quod

quod cum sensu suo prædicant, non possunt dicere, Verumtamen ad quod peruenimus, *siue, vt Hilarius vertit, ad quod festinauimus, vt idem sapiamus, & in eadem regula permaneamus. Non enim ἐφθάσαμεν, id est, non præuenerunt ad illud, sed postuenerunt. Nos quidem à mille quingentis annis & amplius præuenimus ac festinauimus ad regulam, in qua vnanimes *in vno spiritu stamus. Nulla enim de dogmatibus fidei inter nos disceptatio est. Lutherani verò à quadraginta annis paulò amplius ad verbum, quod prædicant, non quidem præuenerũt, ac festinarunt, sed post relictum illud primum, ad quod eorum patres peruenerant, postea venerunt facti errore suo ex primis nouissimi: sic se alienarunt ab Euangelio eius, cuius nomen est secundùm prophetiam Isaiæ, *Prædare, festina velociter. Qui iuxta nomẽ suum non prædatur, neq; capit nisi eos, qui ad illud verbum, quod sancti Apostoli annunciauerunt, festinare volunt. Hinc fit, vt quia Lutherani & Caluiniani non permanent in eadem regula, ad quam prius præuenerãt ac festinarant, si quid aliter quàm nos sentiunt, * non reuelat eis Deus secundùm sensum propositæ festinationis, vt ait sanctus Hilarius, id est, secundùm regulam illam primã & antiquam catholicæ fidei, ac Euangelicæ doctrinæ: sed reuelat proprius spiritus, qui quia carnalis est, facit, vt, sicut scriptum est, * animalis homo non percipiat ea, quæ Dei sunt. Iam quomodo non necesse sit continuatam esse à temporibus Apostolorum veritatem Euangelij, contra atq; Martinus Lutherus, & discipuli eius tradunt, si præcipit Apostolus * in eadem regula, fidei scilicet & euãgelicæ prædicatio-

*Philip. 3.
*Philip. 1.
*Isai. 8.
*Philip. 3.
*1. Cor. 2.
*Philip. 3.

dicationis,permanere? Quod enim ſemper eſt idem, non deſinit eſſe,tantiſper dum idem manet:ſicut fluuius non deſinit eſſe idem,dum fluit,ſed dum areſcit.

Hoc igitur cùm auctores Centuriarum intelligerent,à callido ſerpente afflati,conati ſunt oſtendere, fuiſſe ſẽper ſua peruerſa dogmata in Eccleſia catholica,vt ſimiliter atque nos, ſi poſſent, de ſucceſsione gloriarentur. Neq; veriti ſunt, aut fortaſsis, vt ſunt cæci,non aduerterunt,ſe Germanico prophetæ(ſic enim ipſi vocant)cuius ſe alũnos & diſcipulos profitentur,repugnare,qui paſsim,vt paulò antè dixi,in ijs,quæ de Eccleſia & contra Papatum ſcripſit,affirmat,non neceſſe eſſe,vt ſemper à temporibus Apoſtolorum veritas Euangelij continuata fuerit. Itaq; cùm iſta quadrumuiralis quadriga Matthiæ Flaccij Illyrici,Ioannis Vuigandi, Matthæi Iudicis, & Baſilij Fabri,diſciplinam Germanici prophetæ perpetuitate catholicæ & Apoſtolicæ prædicationis in primis ita apertè oppugnari videret, vt diſsimulari ab eis non poſſet,correctionem Prophetæ ſui adhibuerunt,ſi correctio dicẽda eſt,callidior ratio mendacij defendendi. Conati itaq; ſunt iſti docere illa, quæ Lutherani magiſtri tradunt, omnibus ſeculis tradita eſſe.Sed quomodo conati? nempe ſicut illi, quos beatus Lucas in prooemio Euangelij ſui notauit,qui non ea,de quibus certum & exploratum haberent,ſcripſerant,neq; ſicut eis tradiderunt, qui ab initio ipſi viderunt,neq; ſicut ipſi acceperant,à quibus iſti acceperunt:ſed ſicut eos proprius ſpiritus & cæca temeritas mentis impulit ad narrãdum figmenta ſua,ſicut ij,qui Euangelium ſecundùm Ægyptios ſcripſerunt,aut quod ſecundùm duodecim Apoſtolos vocauerunt.

Quomo-

Quomodo auctores Centuriarum conati sint docere, quæ Lutherani tradunt, omnibus seculis tradita esse, conati, inquam, sicut illi Pseudoeuangelistæ, quos Lucas in proœmio sui Euangelij notauit. Et exemplum huius rei in principatu Romani Pontificis, & quomodo eludant ea testimonia Pontificalis principatus, quæ ex Ignatio, & Irenæo, & Tertulliano ac Cypriano recitant, & quomodo redarguantur.

CAPVT XV.

SEd ostendamus hoc in vno quopiam dogmate, sitq; illud (exempli gratia) de principatu Ecclesię Romanæ, quod est dogma coniunctum cum hierarchicis ordinationibus, quæ ad vnam principem Ecclesiam, & vnum eius principem Episcopum spectant. Ergo in secundo seculo, quod seculo Apostolorum proximũ fuit, quod illi à Traiano Imperatore ordiuntur in secunda centuria, C. de doctrina, de primatu Ecclesiæ Romanæ sic aiunt. „In eminentiore fuisse hoc seculo dignitate & statu „Ecclesiam Romanam prę cæteris vniuersi terrarum „orbis ecclesijs, ex historijs & doctoribus horũ temporum probari non potest. Ignatius in epigraphe „epistolæ ad Romanos eam ecclesiam appellat eminentia dignam. Verùm nihil aliud ab Ignatio assertum est. Nam ad Romanam Ecclesiam omnes alias „in toto terrarum orbe alligatas esse, & Episcopum „illius loci œcumenicum esse, qui errare non possit, „cui omnes necesse sit subesse, nõ tradit Ignatius, neq; „alij huius ætatis. Subiungunt postea, Nouitatem deinde quandam & illud resipere quibusdam videri „possit, quòd in exemplaribus Irenæi, qualia nunc „habemus, lib iij. c. iij. extat, Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnẽ „con-

dicationis, permanere? Quod enim semper est idem, non desinit esse, tantisper dum idem manet: sicut fluuius non desinit esse idem, dum fluit, sed dum arescit.

Hoc igitur cùm auctores Centuriarum intelligerent, à callido serpente afflati, conati sunt ostendere, fuisse sẽper sua peruersa dogmata in Ecclesia catholica, vt similiter atque nos, si possent, de succesione gloriarentur. Neq; veriti sunt, aut fortasis, vt sunt cæci, non aduerterunt, se Germanico prophetæ (sic enim ipsi vocant) cuius se alũnos & discipulos profitentur, repugnare, qui pasim, vt paulò antè dixi, in ijs, quæ de Ecclesia & contra Papatum scripsit, affirmat, non necesse esse, vt semper à temporibus Apostolorum veritas Euangelij continuata fuerit. Itaq; cùm ista quadrumuiralis quadriga Matthiæ Flaccij Illyrici, Ioannis Vuigandi, Matthæi Iudicis, & Basilij Fabri, disciplinam Germanici prophetæ perpetuitate catholicæ & Apostolicæ predicationis in primis ita apertè oppugnari videret, vt disimulari ab eis non posset, correctionem Prophetæ sui adhibuerunt, si correctio dicẽda est, callidior ratio mendacij defendendi. Conati itaq; sunt isti docere illa, quæ Lutherani magistri tradunt, omnibus seculis tradita esse. Sed quomodo conati? nempe sicut illi, quos beatus Lucas in proœmio Euangelij sui notauit, qui non ea, de quibus certum & exploratum haberent, scripserant, neq; sicut eis tradiderunt, qui ab initio ipsi viderunt, neq; sicut ipsi acceperant, à quibus isti acceperunt: sed sicut eos proprius spiritus & cæca temeritas mentis impulit ad narrãdum figmenta sua, sicut ij, qui Euangelium secundùm Ægyptios scripserunt, aut quod secundùm duodecim Apostolos vocauerunt.

Quomodo auctores Centuriarum conati sint docere, quæ Lutherani tradunt, omnibus seculis tradita esse, conati, inquam, sicut illi Pseudoeuangelistæ, quos Lucas in procœmio sui Euangelij notauit. Et exemplum huius rei in principatu Romani Pontificis, & quomodo eludant ea testimonia Pontificalis principatus, quæ ex Ignatio, & Ireneo, & Tertulliano ac Cypriano recitant, & quomodo redarguantur.

CAPVT XV.

SEd ostendamus hoc in vno quopiam dogmate, sitque illud (exempli gratia) de principatu Ecclesię Romanæ, quod est dogma coniunctum cum hierarchicis ordinationibus, quæ ad vnam principem Ecclesiam, & vnum eius principem Episcopum spectant. Ergo in secundo seculo, quod seculo Apostolorum proximũ fuit, quod illi à Traiano Imperatore ordiuntur in secunda centuria, C. de doctrina, de primatu Ecclesiæ Romanæ sic aiunt. " In eminentiore fuisse hoc seculo dignitate & statu " Ecclesiam Romanam prę cæteris vniuersi terrarum " orbis ecclesijs, ex historijs & doctoribus horũ tem- " porum probari non potest. Ignatius in epigraphe " epistolæ ad Romanos eam ecclesiam appellat emi- " nentia dignam. Verùm nihil aliud ab Ignatio asser- " tum est. Nam ad Romanam Ecclesiam omnes alias " in toto terrarum orbe alligatas esse, & Episcopum " illius loci œcumenicum esse, qui errare non posit, " cui omnes necesse sit subesse, nõ tradit Ignatius, neque " alij huius ætatis. Subiungunt postea, Nouitatem de- " inde quandam & illud resipere quibusdam videri " posit, quòd in exemplaribus Irenæi, qualia nunc " habemus, lib iij. c. iij. exstat, Ad hanc Ecclesiam pro- " pter potentiorem principalitatem necesse est omnẽ " con-

conuenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt vndiq; fideles, in qua semper ab ijs, qui sunt vndiq;, conseruata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio. Hi duo magni & Apostolici auctores, ijdemq; Martyres, quos produxerunt, exemplo Lucæ Euangelistæ, sicut acceperunt, ita tradiderũt, Ecclesiam Romanam principalem esse, & eminentia dignam, quòd omnes Ecclesiæ Catholicorum vbiq; vsq; in hodiernũ diem agnoscunt & profitentur: Centuriatores verò hæc grauissima testimonia ad inclinationem doctrinæ pertinere dicunt. Sed videamus suum dogma de non primatu Ecclesię Romanæ quo modo tradunt, scilicet non sicut tradiderunt hi duo sanctissimi martyres, aut alij magni auctores, sed sicut nulli tradiderunt. Nulli enim (inquiunt) scriptores huius ætatis tradunt primatum: ergo non est prima Ecclesia Romana. Sic noui isti dialectici per inanem fallaciam, sicut Apostolus ait* successionem suorum dogmatum probant, negationem ex negatione concludentes, & in clarissimis vocibus eminentiæ & principalitatis hallucinantes, & cauillantes, quæ sunt apud Græcos clariora & significantiora προκάθησις & ἡγεμονία.

*Colos. 2.

Item in tertio seculo, cuius exordium faciunt à septimo anno Seueri, Centuria iij. C. de doctrina, cùm neq; apud graues illius seculi auctores vllum testimonium reperissent, quo istius dogmatis sui de non primatu Ecclesiæ Romanæ, à qua Lutherani defecerunt, successionem probare possent, aduersaria testimonia doctissimi Tertulliani & beati Cypriani martyris ad inclinationem quoq; doctrinæ pertinere dicunt. Hoc enim perfugium, tanquam

asylum,

asylum, isti nobiles quadrumuiri sibi collocarunt. Tertullianus (inquiunt) libro de pudicitia, non sine " errore sentire videtur, claues soli Petro commissas, " & Ecclesiam super ipsum extructam esse. Deinde, etsi " ecclesiam Romanam felicem dicit, tamen principa- " lem non dicit in libro de præscriptione hæretico- " rum. Sed rogo eos, quid si dixisset? esto, non dixit " Tertullianus, at dixit Irenæus, & quidem seculo superiore: sed quid illi tunc ad hoc Irenæi? Nouitatem (inquiunt) resipere hoc quibusdam videri posset. Ergò hoc ipsum multo magis in Tertulliano iuniore nouitatem resipere visum esset. Sed quid, quòd hoc quoque Cyprianus dixit? nihil apud istos refert. Si Tertullianus dixisset, actum erat. Ita delirant isti sapientes Centuriarum fabri, & æqui iudices. Recitant deinde testimonia Cypriani martyris: Cypri- " anus (inquiunt) de ordine in Ecclesia, libro 1. epist. " viij Deus (inquit) vnus est, & Christus vnus, & vna " Ecclesia, & cathedra vna super petram domini vo- " ce fundata: aliud altare constitui, aut sacerdotium " nouum fieri non potest. Quisquis alibi collegerit, " spargit. Et libro iij. epist. xi. Cyprianus, Maximus, " Vrbanus, & Salonius sentiunt, vnum Episcopum " in Ecclesia Catholica esse debere. Lib. iiij. epist. viij. " nominatim ait, idque sine vllo fundamento sacræ scri- " pturæ, Romanam ecclesiam ab omnibus alijs pro " matrice & radice catholicæ ecclesiæ agnoscendam " esse, quemadmodum & libro i. epist. iij. & in tracta- " tu de simplicitate prælatorum, principalem vocat " ecclesiam Petri cathedram, à qua vnitas sacerdota- " lis exorta sit. Ibidem tamen causas dijudicandas " Romam deportandas esse negat. alibi verò passim "

" dicit, super Petrum fundatam esse, vt libro i. epist. iij.
" lib. iiij. epist. ix. in tractatu secundo de habitu virgi-
" num, sermone iij. de patientia, & in epist. ad Quinti-
" num.

Ita diligentissimè collegerunt Cypriani martyris testimonia pro Ecclesiæ Romanæ principatu, quæ quò sunt plura, eò est grauior eorum auctoritas, maiusque pondus in tanto præsertim auctore & martyre: quo cùm se premi & inclinari viderent, neque sustinere illud possent, ad asylũ inclinationis doctrinæ confugerunt, dicentes, sine vllo fundamento sacræ scripturæ dixisse, Romanam Ecclesiam esse matricem & radicem Ecclesię catholicæ. Sed quo modo sine fundamento sacræ scripturæ, si toties affirmat Cyprianus, super Petrum fundatã esse ecclesiam? ex quo necesse erat sequi, ecclesiam Romanam, in qua beatus Petrus sedit, & martyriũ passus est, matrẽ & radicem esse omniũ ecclesiarũ. Sed isti, quia neque antecedentia, neque consequentia vident, neque intelligunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, idcirco quod beatus Cyprianus dixit, Ecclesiam Romanã matricem & radicem esse catholicæ Ecclesiæ, sine fundamento scripturæ dictum esse putauerunt. Illud præterea non est dissimulandũ, quòd vt fidem & auctoritatem beato Cypriano, auctori grauissimo, derogarent: Habet, inquiunt, Cyprianus & alias opiniones periculosas, vt quòd libro iiij. epist. ix. negat, Episcopos & præpositos ecclesiæ iudicandos. Quis nõ miretur istorũ hominum, tarditatémne dicam an malitiam? qui hoc Cyprianum dicere, aut malè intellexerunt, aut malitiosè finxerunt: cùm apertè beatus Cyprianus Florentium, siue Puppianum reprehendat, quòd

1. Tim. 1.

quòd præpositum suum iudicaret, quod nefas est, & à natura ipsa abhorret. Cùm apes inquit, habeant regem, & ducem pecudes, & fidem seruent latrones mancipi, cui obsequio pleno humilitatis obtemperant. Negat igitur beatus Cyprianus, iudicandos esse præpositos ab eo, qui se constituat iudicem eorũ. An non hoc apertè dicit, cùm ait, Te Episcopum Episcopi, & iudicem iudicis, ad tempus à Deo dati, constituis? Cùm dominus Deus in Deut. dicat,* Et homo quicunque fecerit in superbia, & non exaudiat sacerdotem, aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille; & omnis populus cùm audierit, timebit: & non agent impiè etiam nunc. Et cum Samuele loquitur,* Non te spreuerũt, sed me spreuerunt. Ergo si quod dicit beatus martyr Cyprianus, arrogantiam esse & mentis inflationem, ad cognitionem suam præpositos & sacerdotes vocare, opinio periculosa est, vt censores isti quadrumuiri dicunt, sit etiam periculosum exemplum scripturæ Deuteronomij, & deleatur tanꝙ periculosum de eo, qui nõ vult audire iudicem suum, sed potius contemnere, & exemplum libri Reg. primi de populo, qui spreuit Samuelem, & ab eo amplius iudicari noluit. In hunc modum cęterorum dogmatũ Lutheranorum quadriga ista euangelica, Germanici Prophetæ successionem in centurijs suis, quas cudunt, probant. Sic sunt conati, & conantur adhuc tradere, quęaut omnino non tradiderunt, qui à principio ipsi viderunt; aut non quomodo tradiderunt, & sicut patres eorum acceperunt, sed sicut eorum proprius propheta Martinus Lutherus somniauit.

*Deut. 17.

*1 Reg. 8.

De coagmentatione hierarchiæ Ecclesiasticæ & colligatione eius, ac concentu à Paulo descripto, & de comparatione eius cum cœlesti hierarchia, & quomodo corpus hierarchicum augeatur. Et quomodo non pertineat ad Lutheranos & Caluinianos corpus Ecclesiæ, quod ex Christo connexum Apostolus describit. Et quomodo inde elicitur demonstratio unius capitis hierarchici sensibilis sub Christo. Et in quo Græci unum caput Ecclesiæ catholicæ negantes, à sectarijs istis differant. Et cur Apostolus uocabulo Tactus, quem uetus interpres iuncturam uertit, usus sit.

CAPVT XVI.

SEd tempus est iam, vt ad locum epistolæ Pauli ad Ephesios reuertamur, id est, ad eam partem, quæ sequitur, in qua tota harmonia, & coniunctio, ac colligatio sacrarum ordinationum diuinè docetur, vnde incipiant, quò terminentur: qua ratione & modo, ac virtute inter se cohæreant & coagmentatę sint. Ex quo rursus clarissimè perspicietur, nulla sacrorum ministrorum charismata ministros Lutheranorum & Caluinianorum habere, sed laruas tantùm esse & figmenta. Dixerat ergo Apostolus* datos esse a Deo Apostolos, prophetas, euangelistas, pastores & doctores ad consummationem sanctorũ in opus ministerij ad ædificationẽ corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei in virũ perfectum, in mensurã ætatis plenitudinis Christi, facientes autem veritatẽ crescamus in Christo per omnia. In quo clarè docuit Apostolus, totã Ecclesiæ catholicæ hierarchiam, quam descripsit, quę per hierarchicas ordinationes cõflatur, ad Christũ referri, sicut diuinus Dionysius Apostolicus Pauli interpres in ecclesiastica hierarchia c. 5. ait, totam hierarchiam in IESVM terminari.

*Ephes. 4.

minari. Ipse enim est, sicut Apostolus ait,* caput su-* Eph. 1.
per omnem Ecclesiam. Explicat deinde Paulus, quo ordine & modo, ac concentu referatur, cùm subiungit, *ex quo totum corpus compactum, & connexum *Ephes. 4.
per omnem iuncturam subministrationis secũdùm „
operationem in mensurã vniuscuiusque membri au- „
gmentum corporis facit in ædificatiõem sui in cha- „
ritate) Significat subministrari ab illo capite ὑπερουσίαν χάριν καὶ δύναμιν ἐνεργητικὴν, subministrari inquã, ab illo capite supersubstãtiali gratiã & virtutẽ operatiuam προσεχῶς quidem καὶ πρώτως, id est, immediatè (vt ita dicam) & primum capiti huius corporis proprio, qui est successor Petri principis Apostolorum, ac vicarij Christi: non enim hoc corpus capite suo caret. Alioqui non diceretur, totum corpus, sicut Apostolus vocat: Deinde subministrari δευτέρως καὶ ὑφειμένως, id est, secundariè, vt ita dicã, & mediatè ijs, qui sunt in corpore Ecclesiæ secundo loco hierarchicè ὑποτεταγμένοι, id est, subordinati: cuiusmodi sunt maiores Metropolitani, siue maiores Archiepiscopi, id est, Primates, quos iam inde à temporibus Apostolorum Patriarchas vocant, qui sunt προσεχῶς, id est proximè siue immediatè successores Apostolorum; hi enim præsunt Metropolitanis, quib. postea subministratur. Tùm Episcopis ipsis, qui sunt minores successores Apostolorum. hi enim sunt infra Archiepiscopos. Subministratur deinde Presbyteris: deinde diaconis, atque ita deinceps ordine vsque ad extremum gradum, vt vnicuique ordini conuenit secundùm operationem ei commensuratam, & vt ita dicam, proportionatam. Cogor his verbis vti, quò magis res intelligatur. Itaque vt

est cuiusque gradus, vel ordinis operatio maior, aut minor, vt Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ac deinceps: sic illi analogicè secundum rationem operationis eidem conuenientis subministratur potestas ministerij maior, aut minor, quæ est spirituale charisma, siue gratia. Charisma ergo τοῦ καταρτίζειν, hoc est, aptandi in ædificationem *corporis Christi commune est omnibus ministris Ecclesiæ: participare verò illud primùm & immediatè, aut secundariè & mediatè, non est commune omnibus, sed vt vnicuique conuenit secundùm potestatis suę proprietatem. Sicut in hierarchia cœlesti participare sapientiam Dei & cognitionem, vt ait Dionysius cap. xij. commune est omnibus cælitibus: immediatè verò & primùm participare, aut mediatè, & secundariè non est commune cum omnibus, sed vt vnicuique secundùm conuenientiam proprietatis præscriptum est. Deinde subiungit idem Dionysius: Etenim sicut primi proprietates inferiorum plenè habent: sic inferiores superiorum proprietates habent, sed non æquè plenè. Sic in Ecclesiastica hierarchia ad imitationem illius cælestis fit. Scilicet habent maiores ministri virtutes minorum περισσῶς, id est, affluenter, siue redundanter. Possunt enim aliquid Episcopi, quod non possunt Presbyteri, vt ordinare: & ea, quæ cum Presbyteris communia habent, vt baptizare, sacrificare, & si quæ alia sunt, hæc facere possunt αὐτουργῶς, id est, per se sine opera inquam, presbyteri: presbyteri verò non possunt sine opera & auctoritate Episcopi,

*Ephes. 4.

piſcopi,qui presbyteros ordinat,& aras conſecrat. Similiter in reliquis ordinibus ὑποτεταγμένοις, id eſt, ſubordinatis, virtus ſiue poteſtas inferiorum eſt quidem in ſuperiore redundanter, quia poteſt ſuperior illud ipſum, quod inferiores ei ſubordinati, & amplius quid ; ipſi verò inferiores poſſunt idem aliquid quod ſuperior,ſed ὑφειμένως: obeunt enim ſua miniſteria ſub illo ſuperiore,& cum ipſo, vt ait Dionyſius,Eccleſ.Hier.cap. 5. Ad hunc igitur modum totumcorpus Eccleſiæ compactum & connexum ex capite Chriſto,per communionem virtutis à Deo ſubminiſtratæ,membris ipſius ſecundùm operationem cuique eorum conuenientem,augmentũm inquit,corporis facit in ædificationem ſui in charitate. Augetur enim hierarchicè corpus Eccleſiæ, cùm membrum augetur : augetur verò membrum, cùm à gradu inferiore ad ſuperiorem euehitur, vt ſi ex Lectore fiat Hypodiaconus, aut ex Diacono Presbyter:aut ex Presbytero Epiſcopus. Vnde in ordinatione Presbyteri ſic Epiſcopus precatur: Et nunc Domine reſpice ad Eccleſiam tuam ſanctam,& auge eam, & multiplica eos, qui in ea præſunt, & da virtutem ad laborandum verbo & opere ad ædificationem populi tui.Et nunc ipſe aſpice ad hunc famulum tuum,qui ſuffragio ac iudicio totius Cleri inter Presbyteros gradu ſacerdotali auctus eſt. Huiuſmodi verò hierarchici auctus rationem Petrus Damianus in libro de Eccleſiaſticis inſtitutionibus doctè explicauit. Ad hos inquit, gradus cùm miniſtri Eccleſiæ prouehuntur, non ita credendi ſunt, ſanctum Spiritum nouiter ac repentè ſuſcipere,

pere, vt ipsos tanq; eotenus vacuos ille supernus habitator tūc primum incipiat visitare: sed hoc potius modo, vt quos iam inhabitat, per ampliorem gratiam ad altioris quoq; gradus incrementa perducat. Nam & in Apostolis eadem non ambigitur fuisse seruata discretio, vt scilicet Spiritum sanctum, quem iam habebant, rursus acciperent: & de gratia ad gratiam, suis aucti profectibus, aspirarent. Et paulò pòst, Si ergo secundùm ea, quæ superius comprehensa sunt, non modò in inferiore quolibet gradu quis constitui, sed neq; baptizari quidem sine Spiritu sancto potuit, quisquis ad officium sacerdotale prouehitur, non nouiter Spiritum sanctum, sed eius vtiq;, quem iam habet, suscipit incrementum. Sicut enim vna anima per omnia corporis membra diffunditur, sic vno Dei spiritu vniuersalis Ecclesia vegetatur. Hactenus Damianus.

*Ephes. 4. Præterea cùm Apostolus ait, * augmētum corporis facit in ædificatiōem sui in charitate, satis apertè docet, hanc rationem hierarchicè crescēdi non posse peccato eius, qui crescit, impediri: neq; rursus gradum ordinis hierarchicè acquisiti, propter peccatum amitti, sicut hæretici somniant, non intelligentes *neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. (*1 Tim. 1.) Si quidē Apostolus non dicit prius ædificari membrum in charitate, deinde augmentum facere, siue crescere: sed augmentum (inquit) * corporis facit in augmētum sui, in charitate. (*Ephes. 4.) Vnde rectè etiam hoc idem Petrus Damianus, auctor valde eruditus & pius, paulò pòst, Ita quoq; (inquit) Spiritus sanctus ad conferendnm spiritualis gratiæ sacramentum non tam vitæ merita, quàm iniuncti gradus attendit

dit officium: vt non magnopere ad momentum rei huius pertineat, quod Ecclesiæ membra honestè, aut non honestè sunt composita, sed id potius, vbi sunt posita: & à nobis non tam merita sunt consideranda, quàm loca, præsertim cùm Apostolus dicat, * Posuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Hactenus Damianus. Vnde Episcopus cùm hierarchicè ordinat, prius precatur à Deo ei, quem ordinat charisma potestatis spiritualis ad obeundum ministerium Ecclesiæ suæ: deinde Spiritus sancti gratiam, quæ ministerij administrationem Deo faciat gratam, sicut perspici potest in precationibus hierarchicis, quæ tam in Ecclesia Orientali, quàm Occidentali adhibentur. Hactenus de auctu hierarchici corporis ministrorum Ecclesiæ catholicæ, quorum ministerio ipsum quoque corpus Ecclesię catholicę in fide, spe & charitate mysticè augetur. Positi enim sunt, sicut Apostolus docet, * in consummationem sanctorum, qui est finis, vt antè dixi, ecclesiasticæ hierarchiæ.

*1 Cor. 12.

*Ephe. 4.

Sed agè iam conferamus extremam hanc partem Apostolici loci à nobis hactenus explicatam, cum vocationibus ministrorum Lutheranorum ac Caluinianorum: videamusque, an ad illas pertineat. Principiò non habent isti caput Ecclesiæ catholicæ sub Christo, & cum Christo: ac proinde non habent totum corpus, quod ex Christi capite compactum & connexum est. Totum enim corpus sub sensum cadens, nec esse, nec intelligi potest sine proprio capite item sub sensum cadente. Eiusmodi igitur corpus quia non est totum & integrum αὐθέντως, non est cōpactum & connexum ex Christo: ac proinde non

habet inde ſubminiſtrationem virtutis, quæ cum membris, id eſt, cum miniſtris ac Superintendentibus ſecundùm operationem eis conuenientem communicetur. Confitetur Caluinus in ſuis inſtitut. c.viij. art. xcvij. viuam eccleſiæ imaginem à Paulo deſcribi in hoc loco epiſt. ad Epheſios, in quo adhuc verſamur, de quo, vt reliqua nunc omittam, ſic ait:
„ Expendatur locus ille, non dubium, quin repræſen-
„ tare illic penitus voluerit ſacrum & ſpirituale Ec-
„ cleſiæ regimen, quod poſteri hierarchiam dixerunt.
„ Subiungit deinde, Non dubium etiam, quin mo-
„ dum coniunctionis exprimere voluerit, quo fide-
„ les cum capite ſuo Chriſto cohærent. Verùm illic
„ inquit, non modò nullum miniſteriale caput com-
„ memorat, ſed operationem ſingulis membris par-
„ ticularem attribuit pro modo gratiæ vnicuique di-
„ ſtributæ. Hæc eſt igitur potiſſima ratio, cur Caluinus caput Eccleſiæ miniſteriale negat, quia in deſcribendo ſacro & ſpirituali regimine Eccleſiæ, quod à poſteris appellatum eſſe dicit hierarchiam, Paulus Apoſtolus non commemorauit caput. Nec aduertit homo inconſideratus, commemorationem iſtam capitis miniſterialis, quam in hoc loco epiſtolæ ad Epheſios à Paulo requirebat, factam eſſe in epiſtola priore ad Corinthios cap. 12. in deſcribendo eodem ſacro & ſpirituali regimine Eccleſiæ. Qui enim dixerat, Omnes in vnum corpus baptizati ſumus, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus, ſicut hic dixit, Vnum corpus, vnus ſpiritus: idem paulò pòſt
* Epheſ.4. tribuens ſimiliter vt in epiſt. ad Epheſios * ſingulis membris ſuam operationem pro modo gratiæ vni-
* 1.Cor.12. cuiq; diſtributæ, Non poteſt inquit, * dicere oculus manui,

manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, nō estis mihi necessarij. Habet igitur hoc vniuersum corpus caput sub sensum cadens, vt sunt itē manus & pedes. Hoc ergo est, quod Apostolus vocat hîc in epist. ad Ephesios * vnum corpus, & totum corpus ex Christo connexum, corpus inquam, visibile, cum capite inuisibili. Alioqui non esset, neque diceretur vnum corpus, & totum corpus. Ac rursus cùm non esset totum, nec esset item corpus ex Christo connexum: ex Christo enim capite non est connexum corpus prorsus truncum & mutilum, sed corpus integrum. Sin verò rursus dicant, vt solent, totum corpus esse & dici, quod habeat Christum tantùm caput, cùm totum corpus ex Christo capite connexum sit, consequens est, aut Christum esse ex Christo connexum, aut totum esse corpus, quod capite careat: quæ sunt absurda & absona, ac inter se repugnantia. *Ephes. 4.

Neq; verò hoc ipsum, quod de Lutheranis dicimus, qui caput Ecclesiæ & omnem hierarchiam ecclesiasticam negant, de Græcis quoq; dicendum est, qui tametsi vnum caput Ecclesiæ catholicæ non agnoscant modò, tamen habent hierarchicum corpus in origine integrum. Habent enim Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, & reliquos deinceps Ecclesiæ ministros ecclesiastico ritu tametsi schismaticè, tamen verè ordinatos sub vno capite Ecclesiæ in origine, id est, successores eorum, qui à principio sub vno capite Ecclesiæ ordinati sunt, licet mortuos nunc, quia non orthodoxos.

Est etiam obseruanda in Apostolo, vt etiā de hoc

admoneam, exquisita ratio vtendi hoc verbo ἁφῆς, id est, tactus hoc loco, vbi de colligatione & concentu ecclesiastici corporis loquens, Ex quo inquit, *totum corpus connexum & compactum per omnem iuncturam, siue tactum, subministrationis augmentum facit &c. Et in epistola ad Colossenses * similiter, quo totum corpus per tactus & coniunctiones subministratum crescit. Vt enim tactus, qui per vniuersum corpus animalis fusus est, ita est animanti necessarius, vt sine eo viuere non possit, vt quidem potest sine aliis sensibus: sic qui non est vnitus cum capite Ecclesiæ Catholicæ, ac proinde cum toto corpore vnius sanctæ Ecclesiæ, quam secundùm symbolum Catholicum credere iubemur, id est, qui tactum & coniunctionem eius amisit, is nō potest viuere, scilicet vitam fidei. Sic Georgius Trapezuntius, homo Græcus eruditus auctor, in epistola ad Cretenses tempore Calisti iij. Pont. probauit, Ecclesiam Græcorum non esse orthodoxam, quia scilicet non esset colligata ac consociata cum Romano Pont. qui est totius corporis Ecclesiæ caput. Notauit etiam hic auctor, hac ratione plerosque Patrum ecclesiæ Orientalis Ecclesiam Romanam cum sensu tactus comparasse, reliquas verò quatuor sedes Patriarcharum cum reliquis quatuor sensibus.

* Ephes. 4.

* Colos. 2.

De ordi-

De ordinatione Episcopi, & explanatio illius loci Apostoli 1. ad Tim. 4. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, & quæ sequuntur. Et quæ sit prophetia ista, quæ ad ordinationem Episcopi adhibetur, sicut in Timotheo factum est: & quomodo materiam & formam Sacramenti ordinationis Paulus in hoc loco de ordinatione Timothei posuerit. Item quid sit, quod idem Apostolus ad eundem Timotheum scripsit: Secundum in te præcedentes prophetias, vt milites in illis bonam militiam.

CAPVT XVII.

Sed hactenus generaliter & in vniuersum de hierarchicis ordinationibus ministrorum Ecclesiæ, quos Deus posuit in Ecclesia ad consummationem *sanctorum in opus ministerij ad ædificatiõem corporis Christi. Dicamus iã sigillatim de hierarchica Episcopi ordinatione: veniamusque ad locum epistolæ prioris ad Timotheum c. 4. Ex quo clarissime demonstrabimus vocationes Superintendentium Lutheranorum (sic enim suos Episcopos vocant) profanas esse & sacrilegas. Noli igitur inquit, negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij. Dixerat prius,* Attende lectioni, scilicet sacræ scripturæ, & eorum scriptorum, quæ ad interpretationem scripturæ sanctæ faciunt, cuiusmodi sunt scripta sanctorum doctorum. Sic enim magnus Athanasius scribens contra gentes, statim in principio: Satis inquit, sunt scripturæ reuelatæ ad docendum omnem veritatem. Deinde subiũgit, Sunt præterea scripta sanctorum doctorum multa, quæ qui legat, scripturarum explanationem assequetur. Quare

*Ephes. 4.

*1. Tim. 1.

vt intelligeremus, vt ego quidem interpretor, quicquid legendum est, ad scripturam sanctam, quoad fieri possit, referendum esse, scripturam in epistola
2. Tim. 3. secunda ad eundem Timotheum mirificè commendauit. Sed rursus, ne solam scripturā sanctam legendam esse arbitraremur, scriptis sanctorum neglectis, præcepit Timotheo, attendere lectioni. Non enim dixit, lectioni scripturæ, sed lectioni. Idcirco idem Athanasius in extrema parte libri de incarnatione aduersus gentes ait, discendas esse literas sanctas ex sanctis doctoribus Theologis, qui eas inquit, legerunt, in eisq; versati sunt: simul etiam adhibendam esse vitæ integritatem: non enim posse sanctorum scripta à nobis intelligi, nisi nos cum sanctis ipsis similitudine vitæ coniungeremus. Sed rursus, vt hoc quoq; obseruemus, non dixit Apostolus, Attende ἀναγνώσει, id est, lectioni sine articulo, hoc
1. Tim. 1. est, cuicunque lectioni ἀορίστως, sed τῇ ἀναγνώσει, id est, ἀναγνώσει τῶν ἀναγνώσεως ἀξίων τῶν μὴ ἀποκρύφων, cum articulo inquam dixit, vt significaret legenda esse certa, & non apocrypha & lectione indigna. Attende ergo inquit, lectioni, & exhortationi ac doctrinæ: idcirco enim debet incumbere lectioni Episcopus, vt populum sibi commissum exhortetur & doceat.

Hæc verò Episcopum non facere nihil aliud est, quàm charisma hierarchicæ gubernationis sibi datum negligere: neq; curare, quid illa Euāgeliorum & manuum super caput impositio, in ordinatione Episcopi significet & admoneat, atq; operetur. Liber enim scripturæ sanctæ, quæ super caput Episcopi imponitur, cùm ordinatur, sicut Clemens Roma-

nus libro viij. Const. Apost. & Dionys. Areop. in Ecclesiastica hierarchia c. 5. tradunt, id quod à sanctis Apostolis acceperunt: quod vsque in hodiernum diem per vniuersas mundi Ecclesias in hierarchicis ordinationibus Episcoporum solenni ritu seruatur, significat, vt idem Dionys. interpretatur, non solùm cogniturum esse Episcopum diuina omnia tum opera, tum dicta, quæ in scriptura sancta continentur, sed eadem etiam alios docturum secundùm gratiam, quæ vnicuique data est à Deo secundùm mensuram donationis eius. Hoc ipsum significârunt illæ *Ephes. 4. dispertitæ linguæ *tanquam ignis, quæ sederunt su- *Actor. 2. pra singulos Apostolorum in die Pentecostes, cùm ordinati sunt Episcopi, vt veteres Patres tradiderũt, & vt paulò pòst docebo. Fuerunt itaque linguæ illæ in signũ libri aperti: aperitur enim liber ad legendũ quæ in eo sunt, quod est munus linguę. Idcirco in ordinatione Episcopi Deum precatur Ordinator, vt virtutem Spiritus sancti, quem Christus sanctis Apostolis dedit, super hunc effundat.

Prophetiam ergo vocauit hic Apostolus *(vt ego *1. Tim. 4. quidem sentio) aut sacram scripturam, quæ imponitur aperta super caput eius, qui ordinatur Episcopus, aut illam ἐπίκλησιν πανευγέστάτην, vt idem Dionysius vocat, id est, illam sanctissimam formulam verborum spiritualium, quæ adhibetur cum impositione illa manuum super caput ordinati. Quæ quidem sacra formula spiritualis inuocationis cum illa libri Euãgeliorũ & manuũ impositiõe (quia quod significat, simul pficit) meritò vocata est prophetia, licet homonymè: propriè enim prophetia est spiritualis præcognitio futurorũ, consueuit tamen Apostolus,

ſtolus vti aliquãdo verbis homonymè. Vt cùm Callimachũ poëtam Cretenſem homonymè, ſicut Chryſoſtomus quoq; in prooemio commentariorũ Hier.
*Tit. 1. notauit, Prophetam eorum proprium vocat, * propter teſtimonium eius verum, quod de Cretenſibus dixit; quod perinde eſt, ac ſi teſtimonium eius verum prophetiam vocaſſet. Sapientiſsimè itaque ac diuinè videtur mihi Apoſtolus hoc verbum prophetiæ ad hierarchicas ἐπικλήσεις, quæ in ordinationibus adhibentur, accommodaſſe. In his enim hierarchia per virtutem diuinam illis inuocationibus cum impoſitione manuum ac cæteris neceſſarijs à Deo inditam, miniſtrum à Deo ordinatum oſtendit ἐνεργῶς, id eſt, efficaciter, vt iam Epiſcopi non ſolùm propter interpretationem ſcripturarũ, quæ Epiſcopo in primis conuenit, ſed etiam propter ordinationes & conſecrationes prophetæ ſint, & dicantur. Sicut beatus Ioannes baptiſta Propheta fuit, & pluſquàm propheta, * quia Dominum
*Luc. 7. non futurum, vt alij ante eum Prophetæ, ſed præ-
*Ioan. 1. ſentem * demonſtrauit. Et in ordinatione Matthiæ illud ſignum diuinitus datum, quod ſortem voca-
*Actor. 1. uit ſcriptura ſancta, * ſicut idem Dionyſius interpretatus eſt, prophetia quædam fuit, quæ indicauit præſentem Matthiam à Deo electum, ſuper quem ſignũ illud cecidit. Hoc ipſum facit Deus per illam ſacram verborum formam, quam Epiſcopus cum reliqua materia in ordinatione miniſtrorum Eccleſiæ adhibet. Prophetæ etiam ſunt & dicuntur Epiſcopi, vt ſuprà iterum dixi, quia vt tradit diuinus Dionyſius, non debent operari hierarchica myſteria αὐτοκινήτως, id eſt, à ſe excitati & moti, ſed à Deo, qui eos excitet

citet ad operandum hierarchicè & diuinè: non loqui autem αὐτοκινήτως, ſed Deo ſuggerente prophetarum eſt.

Quòd ergo alij interpretati ſunt prophetiam diuinam inſpirationem, ſiue reuelationem, qua eſſet Timotheus ad eum gradum & ordinem vocatus, alienum mihi eſſe videtur ab œconomia Apoſtolicæ doctrinæ. Cùm enim Apoſtolus quod de ordinatione Epiſcopi Timothei ſcripſit, non ſolùm propter Timotheum, ſed propter omnes Epiſcopos ſcripſerit, non debebat aliquid ponere in ordinatione Timothei, quod non in cuiuſuis Epiſcopi ordinationẽ conueniret. Quarè cùm Timotheum de ordinatione eius admoneat, * vt vel ex ipſo myſterio hierarchicę ordinationis, quod ex impoſitione manuum, tanq̃ ex materia & ex forma verborum conſtat, diſcat reſpondere ordini ſuo: neceſſe eſt, vt iſtud genus prophetiæ, per quam dicit Apoſtolus datum eſſe Timotheo chariſma huius gradus ac poteſtatis hierarchicæ, ſit aliquid commune cum omni ordinatione Epiſcopi hierarchicè facta. Fieri autem Epiſcopum ſecundùm reuelationem diuinam, non omnibus Epiſcopis conuenit, immò pauciſſimis. Deinde ſi hoc loco prophetia huiuſmodi inſpirationem ſignificaret, facilè inde potuiſſet duci error exiſtimantium, non eſſe Epiſcopum, niſi quem conſtaret ſecundũ inſpirationem diuinam vocatum eſſe, vt de Ambroſio & Nicolao, vt alios taceam, proditum literis eſt. Prophetia igitur, per quam vnà cum impoſitione manuum plurium Epiſcoporum data eſt Timotheo gratia poteſtatis Epiſcopalis, ad ſacramentum ordinationis Epiſcoporum pertinet, ſiue prophetia ſit

*1 Tim. 4.

ſcriptura ſancta, quæ ſecundùm traditionem Apoſtolicam imponitur ſuper caput eius, qui ordinatur Epiſcopus, ſiue ſit, quod magis mihi probatur, ipſa formula verborum ſacra, quæ ordinationem cum impoſitione & manuum, & libri Euangeliorum aperti adhibetur, quæ ἐπίκλησις dicitur, qua perficitur ordinatio, ſicut Dionyſ. in principio cap. 5. eccleſ. hier. tradit. Non enim veriſimile eſt, vt in ordinatione Timothei impoſitionis manuum, quæ eſt inſtar materiæ, Apoſtolus meminerit, * & inuocationis conſecratoriæ, quæ eſt inſtar formæ, non meminerit. Ex vtroque enim, ex materia ſcilicet & forma, hoc myſterium, ſiue ſacramentum, conſtat. Rurſus quis credat prætermiſſam eſſe hic mentionem verbi, quo ſanctificatur & conſecratur Epiſcopus? cùm paulò ſuprà idem Apoſtolus in ſanctificatione cibi non prætermiſerit. Dixit enim * ſanctificari per verbum & orationem. Deinde conuenit hæc interpretatio verbi prophetiæ cum eo, quod idem Apoſtolus ad eundem Timotheum & in eadem epiſtola ſcripſit, inquiens, * Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee ſecundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam. Miniſtros Eccleſiæ ad miniſterium verbi Dei & ſacramẽtorum hierarchicè electos, vocare ſolet Apoſtolus milites. Quis enim inquit, * militat ſuis ſtipendijs? Et canon apoſt. xxxxi. Lex inquit, Dei ordinauit, vt qui altari ſeruit, ex altari viuat. Deinde ſubiungit, Siquidem neque miles ſtipendijs ſuis arma fert contra hoſtes. Miniſtros Eccleſiæ comparauit cum militibus. Et in epiſtola ſecunda ad Timoth. Nemo inquit, * militans Deo, implicat ſe nego-

* 1. Tim. 4.
* 1. Tim. 4.
* 1. Tim. 1.
* 1. Cor. 9.
* 2. Tim. 2.

negotijs secularibus, vt placeat ei, qui se probauit. Cùm ergo Apostolus Timotheo præcipit, * vt bonam militiam militet in prophetijs, quæ in ipsó præcesserunt, consentaneum est, vt prophetiæ istæ ad militiam pertineant, siquidem in illis sit strenuè militandum, id est, in illis ferenda arma contra hostes spirituales, quæ arma sunt fides & bona conscientia, sicut statim subiungit, Vt milites, inquit, bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam. *1. Tim. 1.

Sunt igitur prophetiæ istæ, non quidem reuelationes, sicut nonnulli interpretati sunt, quibus reuelationibus fuisset à principio vocatus Timotheus ad fidem, ac postea electus Doctor & Episcopus: istæ enim iam transierant. Neque rursus, sicut alius interpretatus est, sunt prophetiæ istæ veteris testamenti, à quibus non discrepet Euangelium. Quare enim, si ita esset, non potius dixisset, Commendo tibi hoc præceptum secundùm Euangelium, vt milites in eo bonam militiam? Prophetias ergo præcedentes vocat τὰς ἱερὰς ἐπικλήσεις, id est, sacras inuocationes, quibus perficiuntur ordinationes Episcopi, Presbyteri, diaconi, hypodiaconi, lectoris & deinceps. In his igitur ordinationibus præcepit Timotheo, bonam militiam, militare. Episcopus enim, sicut diuinus Dionysius in ecclesiast. hierarchia cap. 5. ait, per omnes inferiores ordines sua operatur mysteria, id est, omnia quę sacrè fiunt in Ecclesia per ministros eius, ad Episcopum pertinent, tanquam ipse operetur hæc per ministros quibus dedit potestatem hæc operandi,

quæ ipse per se in ecclesia sua operatur. Sic enim interpretatus est S. Maximus Dionysij Areop. scholiastes. Itaque tunc Episcopus bonam militiam in omnibus ordinibus militat, cùm facit, vt omnes ministri inferiores, quisque in ordine suo, benè ministrent. Vt quisque enim ministrauerit, siue benè siue malè, ad Episcopum pertinet, qui & ordinat & potestatem facit ministrandi. Idcirco paulò pòst cap. 3. dat Apostolus * eidem Timotheo præcepta de diaconis, quales esse debeant, & quomodo probandi sint, vt sic probati ministrent. Et in eadem epist. præcipit eidem Timotheo, vt maturè & considerate ministros ecclesię ordinet. Nemini inquit, * cito manus imposueris: neque communicaueris peccatis alienis: quem locum paulò pòst copiosius explanabimus. Præterea etiam prophetiæ istæ, quas Paulus dicit præcessisse in Timotheo, ad illa tria pertinent, quæ sunt Episcoporum propria, sicut eis dicitur in ordinatione, iudicare, interpretari & consecrare, in quo ordinationes continentur: quæ quidem tria ad genus quoddam prophetandi referuntur, vt iam suprà explicaui, cùm locum epist. ad Corinthios tractarem, ne eadem nunc repetamus. In eiusmodi igitur prophetijs, id est, in iudicijs soluendi & ligandi, & in interpretationibus ac consecrationibus, in quibus omnia opera hierarchica versantur, præcipit Timotheo bonam militiam militare.

* 1 Tim. 3.

* 1 Tim. 5.

Quid

Quid in ordinatione Episcopi significet impositio manuum, & quid Presbyterium, quod alij malè interpretati sunt. Et quomodo doceat Apostolus charisma ordinis Episcopalis non posse auferri, ac proinde falsum esse & contra Apostolum, quod Lutherani tradunt, posse fieri ex Episcopo aut Presbytero rursus laicum. Item quomodo ex loco Apostoli eliciatur, opus esse gratia gratum faciente ad dignè suscipiendum sacramentum Ordinis, & quomodo dignè susceptum augeat gratiam. Item de charactere ordinationis Ecclesiasticæ, quæ res sit, & quomodo varijs rationibus variè appelletur: & quare non possit deleri. Et de Sacramentis imprimentibus characterem, & quare imprimant, & quomodo. Et quòd Apostolus doceat ordinationem hierarchicè factam esse sacramentum: & quomodo ordinatio in hierarchiam noui Testamenti sit antitypon ordinationis in Mosaica hierarchia: Et quomodo Mosaica sacramenta typi erant, Euangelica verò sint antitypa.

CAPVT XVIII.

SED pergamus iam ad reliqua loci propositi, de gratia scilicet, quæ datur Episcopo per prophetiam cum impositione * manuum Presbyterij. *1.Tim.4. Significat enim impositio manuum, vt idem Dionysius interpretatus est, dari à Deo hanc potestatem spiritualem, esseq́ eos qui eam accipiunt, sub protectione Dei: tum exercenda esse huius potestatis atq; ordinis ministeria, tanq̃ sub Deo auctore & duce. Idcirco monet Timotheum inquiens, *Noli negligere gratiam, & quæ sequuntur. *1.Tim.4. Cùm autem dicit Presbyterij, significat imponi manus in ordinatione Episcopi à pluribus, à duobus scilicet vt minimum, cum præsentia & auctoritate primi, vel Metropolitani, iuxta canonem Apostolorum, qui iubet ordinari Episcopum à duobus, vel tribus. Itaque

Presbyterion non ordinem aut gradum Presbyteri significat hic, vt quidam falsò existimarunt, sed σύστημα πρεσβυτέρων, id est, cœtum Presbyterorũ. Episcoporum inquam, qui cum principali manus imponunt ei, qui ordinatur Episcopus: quod quidem non fit in ordinatione Presbyteri, in qua vnus tantùm Episcopus cum reliquis Presbyteris non Episcopis, qui inter sunt, manus imponit. De qua ordinatione in secũda epist. ad eundẽ Timoth. * Resuscita inquit, gratiam quæ est in te per impositionẽ manuum mearum. Sed hac de re nos postea pluribus.

*2. Tim. 1.

Preterea cùm ait Apostolus: *Noli negligere gratiã, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiã, & per impositionẽ manuum Presbyterorũ, satis apertè significat, charisma potestatis ac dignitatis episcopi, semel à Deo datũ per ministerium hierarchicũ Episcopi ordinantis, otiosum quidem ac vacuum negligẽtia & incuria Episcopi esse posse, auferri verò aut amitti nõ posse. Non enim dixit solùm, Noli negligere gratiam, quæ data est tibi, sed quæ in te est, quæ data est tibi. Quarè cùm hortetur, ne eam gratiã negligat, consequens est, nihilominus in eo esse, quis negligat: à quo eum dehortatur. Hoc ipsum significat idem Apostolus, cùm in epist. ad eundem Timotheum loquens de charismate siue gratia presbyteratus, Resuscita inquit, * gratiã, quæ in te est per impositionem manuum mearum: quasi sopiri quidem posit non exercendo, aut malè exercendo: auferri verò aut amitti nõ posit. Quarè vocatus à Deo per ministerium hierarchicum ad charisma sacerdotale Episcopi, aut presbyteri, quia dona & vocatio Dei sine pœnitẽtia sunt, sicut idem Apostolus ait, * non

*1. Tim. 4.

*2. Tim. 1.

*Rom. 11.

potest

potest iam amplius, sicut Lutherani somniantes blasphemant, ex Episcopo aut Presbytero rursus fieri laicus.

Hoc præterea est hic obseruandũ, cùm ait Apost. *Noli negligere gratiam, quę in te est, illud quoq; nõ obscurè significare, vt negligitur hoc charisma, si vel nõ exerceatur, vel nõ dignè Deo exerceatur, sic etiã negligi, si indignè suscipiatur. Indignè autem suscipitur ab eo, qui nõ est idoneus & præparatus, quantum in se est, ad eum suscipiendũ. Vt est is, qui à gratia Dei alienus est, quod ex conscientia atq; reprehensione cordis sui potest quisq; coniicere. Quare opus est gratia gratum faciente ad suscipiendum dignè Ordinis sacramentum, vt etiã tradit S. Thomas, 3. p. q. 35. ad primum, quòd ipsum sacramentũ amplius adhuc donum gratiæ confert, cùm dignè suscipitur, vt idem sanctus Thomas in eodem loco conuenienter scripturis sanctis tradit. Dominus enim diligentes *se diligit, & honorãtes se honorat, ac gratia sua remunerat. Et in Apocalypsi, *Qui sanctus inquit est, sanctificetur adhuc. Sacramenta itaq; sanctè suscepta à sanctis, magis eos sanctificant. *1. Tim. 4. *Prou. 8. *Apoc. 22.

Quod igitur in sacramento Ordinis sic philosophamur, requiri scilicet gratiam gratum facientem, vt dignè suscipiatur, ac dignè susceptum rursus gratiam augeat, non hoc sine verbo Dei philosophamur, vt aduersarij fingunt, quibus familiare est, quod Iudas Apostolus de alijs hæreticis dixit, *blasphemare quod ignorant: quæcunq; autem naturaliter tanq; muta animalia norunt, in his corrumpi. Habemus enim verbũ Apostoli, qui in Timotheo omnibus Episcopis præcipit, *Nõ negligere gratiã, *Iudæ. 1. *1. Tim. 4.

siue

siue charisma hierarchicæ ordinationis susceptũ. Ipsa verò ratio naturæ hominis insita docet, negligi quidem charisma, si quis eo, vt Deum eius muneris ac gratiæ datorem decet, non vtatur, & si dignè eam gratiam non suscipiat: rursus verò si dignè suscipiatur, remunerari à Deo iusto & bono maiore gratia. Hæc inquam, quamuis non sint διεξοδικῶς, id est, fusè & explicatè ab Apostolo scripta, cùm videamus tamen principia eorũ ῥητῶς, & vt ita dicam, expressè scripta, atq; hæc in Ecclesia catholica ab omnibus doctoribus doceantur, non licet dubitare, quin hęc, quæ demonstratiua Theologia ἐκ τῶν ῥητῶν, id est, ex verbo Dei expresso concludit, ad doctrinam catholicæ & vniuersalis traditionis referenda sint, quam Ecclesia à principio per prædicationem Apostolorum accepit, qui verbum Dei διεξοδικῶς tradebant: id est, omnia vera & necessaria, sermone auditoribus diffusè explicabant: ac rursus auditores ea, quæ acceperunt, tanquam depositum fideliter ipsi alijs, & illi item alijs vsque ad nos, sicut acceperunt, tradiderunt.

Huc etiam pertinet, quod omnis scholastica Theologia tradit, per sacramẽtum Ordinis imprimi characterem spiritualem, qui semel impressus deleri amplius non possit, neq; rursus iterari. Sed hic statim obijciunt hæretici, rem commentitiam esse characterem, & carere Dei auctoritate. Sed quid ita magni refert, si verbum non est in scriptura, cùm res sit? Dicam enim, quod magnus Athanasius ad monachos Ægyptios de verbo homousij scripsit, non oportere de eo cum ijs contendere, qui rem concederent. Charisma igitur, siue gratiam, quam Apostolus

ſtolus dicit dari Epiſcopo per hierarchicam ordinationem,nos ratione quadam characterem vocamus: eam verò ita imprimi,vt deleri non poſſit, rurſus ex ipſis Pauli verbis demonſtramus,cùm ait,* Noli negligere gratiam, quæ in te eſt,quæ data eſt tibi. De eo enim genere chariſmatum, ſiue gratiarum, quæ culpa noſtra amitti poſſunt, poſtq̃ datæ ſunt, nemo noſtrum ſic loqui poteſt,nemo ſic alterum hortari: Noli negligere gratiam,quæ in te eſt,tametſi ſæpè ita dicamus,Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi, præſertim ſi eius vim & præſentiam in eo vidimus, aut ipſi experti ſumus, vt in gratijs ſanitatum ſolet contingere, & in alijs manifeſtationibus ſpiritus ad vtilitatem. At Paulus in Timotheo hierarchicè ordinato docuit dicere cuiuis Epiſcopo non ſolùm probo,ſed multò etiam magis improbo, quò magis praui quàm boni monitis & hortationibus indigent, * Noli negligere gratiam,quæ in te eſt,quæ data eſt tibi per hierarchicam ordinationem. Quis enim ſanę mentis dicat,docuiſſe Apoſtolum hortari huiuſmodi verbis probos Epiſcopos,& non indignos etiam? Quod ſi docuit ſic etiam malum & impium Epiſcopum hortari,his inquam verbis,quibus ipſe ſanctiſſimum Epiſcopum Timotheum hortabatur inquiens, Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi,& quæ ſequuntur: ergo docuit nos per Spiritum ſanctū,qui in eo loquebatur,& qui per eum nos docebat, gratiam, quæ Epiſcopo per ſacramentum hierarchicæ ordinationis data eſt,ſemper in eo eſſe, ita vt amitti non poſſit, cui ſemper dicere liceat, Noli negligere gratiam,quæ in te eſt. Quæ quidem gratia, quia donum ſpirituale eſt ad vtilitatem da-

*1.Tim.4.

*1.Tim.4.

tum, charisma dicitur: quia datur ad consummationem * sanctorum in opus ministerij, potestas est & dicitur: quia est gratia fixa, & immutabilis habitus siue donum habituale vocatur: quia distinguit ab ijs, qui non sunt adscripti ecclesiasticæ militiæ, character: quia in ecclesiastica hierarchia constituit, ordo. Eadem enim res propter diuersas habitudines, diuersis nominibus appellari potest. Cur verò iterari aut deleri non possit huiusmodi gratia siue character, illa est ratio, quòd per sacramentum hierarchicæ ordinationis is qui ordinatur, sanctificatur Deo in clerum, id est, cum quadam hierarchica benedictione separatur ei, ad consummationem * sanctorum in opus ministerij ecclesiastici, secundùm gradus sui mensuram. Quod autem sic semel Deo sanctificatum est, non potest non esse semper sanctificatum & consecratum Deo, ac ei separatum: sicut Dominus dixit, * Separate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Quod perinde est, quasi diceret, Sanctificate mihi Paulum & Barnabam: quod quidem factum est per orationem & manuum impositionem cum ieiunio, vt Lucas narrat. De quo loco dicam plura postea. Item per baptismum sanctificamur Deo in sortem sanctorum, sicut Apostolus in epist. ad Colos. * vocat, siue in ordinem Christianorum, quem vocat diuinus Dionysius in cap. de baptismo ἱερὰν τάξιν. Ac rursus per sacramentum confirmationis sanctificamur Deo, & asciscimur in ordinem confirmantium professionem Christianæ religionis. Idcirco per hæc sacramenta, vt cuique eorum conuenit, imprimitur à Deo signum spirituale in anima, quod est participatio diuinæ

* Ephes. 4.

* Ephes. 4.

* Act. 13.

* Colos. 1.

tio diuini luminis ac gratiæ, quod quidem signũ deleri amplius nõ potest, quia est fundatũ in sanctificatione ac consecratione Deo facta, quę nõ potest mutari.

Redeo ad gratiam illam, quæ per prophetiam cũ impositione manuum data est Timotheo: quam quidem sacramentũ hierarchicæ ordinationis, quod ex forma sacræ benedictionis, siue inuocationis, & ex impositione manuum constat, in omni Episcopo operatur, cũ hierarchicè ordinatur. Quod quis negat, vt Lutherani & Caluiniani negant, is verbum Dei negat, cùm Apostolus clarè dicat, quòd non tantùm propter Timotheum, vt antea dixi, sed propter omnes Episcopos, qui hierarchicè ordinantur, dixit, * Noli negligere gratiam, quę data est tibi per prophetiam, & per impositionem manuum, siue cum impositione manuum, idem enim valet. At nemo est, qui dubitet, quin idem genus causæ, siue efficientiæ hoc loco illud, per, significet, quod Græcis est διὰ, atque in illo significat, cùm ait idẽ Apostolus ad Titum scribens, * Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus sancti. Vt enim aqua & inuocatio sanctę Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, virtutẽ spiritualẽ à Deo accipiũt regenerandi et renouãdi creaturã, et consepeliendi eã Christo, & conresuscitandi, sicut beatus Clemẽs in lib. vij. const. Apost. tradit: sic inuocatio consecratoria, & impositio manuũ, tanquam instrumenta à Deo data, virtutẽ ab ipso auctore suo accipiunt operandi hoc charisma, siue gratiã hierarchicę potestatis. Vnde Dionysius Areop. cap. 5. eccles. hier. loquens de ordinatione Presbyteri, preces illas consecratorias, quib. eum sanctificari dicit, ἐπικλήσεις ἱεροποιοὺς vocat, id est, orationes, siue inuoca-

* 1. Tim. 4.

* Tit. 3.

tiones consecrationem efficientes. Quòd si neq; baptismi sacramentum regenerationem operatur, neque sacramentum ordinationis gratiam istam spiritualis potestatis, falsum igitur est, quod Apostolus
*Tit. 3. ait, * Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis:
1. Tim. 4. falsum item quod de sacramento ordinis ait, Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij. Quòd si operatur gratiam, vt necesse est dicere, rursus consequens est, vt sit sacramentum non minus quàm baptismus. Hoc enim vocamus sacramentum, quod est visibile signum gratiæ inuisibilis, quam repræsentat & operatur. In quo cernitur excellentia sacramentorum noui testamenti supra vetera illa, quę
Heb. 10. erant typi tantùm: sicut Apostolus ait, Vmbram habebat lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Hæc verò noui testamenti sacramenta, quæ ex rebus sub sensum cadentibus constant, quia res ipsas spirituales, quarum imagines sunt, secum habent coniunctas & copulatas, non typi, sed antitypa sunt, id est, respondentia typis illis, qui has ipsas rerum spiritualium imagines tantùm repręsentabant, vt vmbræ corpora. Sicut baptismus antity-
*1. Pet. 3. pon erat arcæ Noë, vt beatus Petrus * ait. Arca enim typus tantùm erat, qui operando salutem corporalęm in aqua, solùm repræsentabat baptismum, qui salutem animæ operatur. Ergo ex hoc verbo Dei,
Heb. 10. quo beatus Petrus baptismum dixit esse antitypon arcæ, & ex illo rursus, quo Paulus docet, sacramenta nouæ legis habere in se non vmbram, vt illa legis veteris, sed ipsas imagines rerum, Theologia demonstratiua vtens scientia rationali necessariò demonstrat

monſtrat tanquam ex cauſis proprijs,ſacramentum ordinationis miniſtrorum in hierarchia noui Teſtamenti eſſe, antitypon ordinationis, ſiue conſecrationis miniſtrorum in hierarchia Moſaica. Etenim ſi quia baptiſmus hoc bonum habet, quod circa illa,quæ in diluuio illas octo animas ſeruauit,tantùm figurabat ; ſi inquam, quia baptiſmus hoc bonum habet, quòd per eum configurati * morti Chriſti, & ei conreſuſcitati, verè ſaluamur, idcirco eſt antitypon illius arcæ, cùm omnia ſacramenta noui Teſtamenti huiuſmodi ſint, id eſt, habeant ipſa bona,quorum vmbram vetera illa habebant,conſequens eſt,vt ſint eadem antitypa illorum. Eſt igitur ſacramentum hierarchicæ ordinationis noui Teſtamenti antitypon ordinationis, ſiue conſecrationis illius veteris, habens ſecum copulatam rem ipſam ſpiritualem,quam ſpiritualiter in anima operatur, cuius vmbra tantùm illa veterum miniſtrorum conſecratio habebat. *Philip. 3.

Atq; hæc quidem hactenus de ordinatione Timothei Epiſcopi, id eſt, de ordinatione cuiuſuis Epiſopi, quæ à me locis ſcripturæ ſanctæ hinc inde collatis,mediocriter, vt exiſtimo, explicata ſunt,ac noſtra de ſacramento Ordinis dogmata ex verbis Pauli Apoſtoli demonſtrata. Supereſt,vt iam ordinationes Lutheranorum,ſiue vt ipſi nominant, vocationes in ius verbi Dei, quod à nobis flagitant, vocemus : & eas ad regulam Apoſtolicæ doctrinæ, ad quam ab initio nos contulimus, & in qua ſemper permanſimus,excutiamus,vtrum cum ea conueniant,an ab ea diſcrepent.

Redargutio vocationis ministrorum Lutheranorum, collato loco Apostoli de ordinatione Timothei, cum vocatione Superintendentium Lutheranorum. Et quomodo quæ dicunt & faciunt Lutherani in vocationibus suorum ministrorum collata cum ijs, quæ de Timothei ordinatione à Paulo scripta sunt, plena sint repugnantijs & absurditatibus.

CAPVT XIX.

AGe ergo, si Episcopi sunt, quos vos Lutherani & Caluiniani Superintendentes vocatis, conueniant in eos necesse est hæc Apostoli voces, *Noli Superintendens negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij. Sed quæ ista apud vos prophetia? qui isti Presbyteri, qui manus imponant? An populi vel magistratus vocatio prophetia est? quid hoc absurdius? Deinde si vocationes vestrorum Superintendẽtium sacræ sunt & spirituales, & ad nouum Testamentum pertinent: habent igitur in se secundùm Pauli Apostoli doctrinam, *illud bonum spirituale, cuius vmbram consecrationes veterum ministrorũ habebant. Istud verò bonum ordinationis charisma est, siue gratia, sicut Apostolus in Timotheo docuit: habent igitur in se gratiam vestræ vocationes. Rursus, si gratiam habent, quam operantur, sunt igitur vocationes vestræ sacramenta. At sacramenta si sunt, quomodo ea laici ex officio administrant? Quòd si rectè ac legitimè à laicis ex officio administrari existimatis, igitur non habetis ea pro sacramentis. Hoc verò si ita est, neq; consecrationes ministrorum veteris legis typi erant. Etenim si typi erant, ergo vestræ consecrationes illarum sunt antitypa: aut si vestræ non sunt antitypa, neq; illæ erant typi: hæc enim ad se vicis-

*1. Tim. 4.

*Heb. 10.

vicissim referuntur: & simul sunt, aut simul intereunt. An nō sunt hæc omnia plena repugnantijs?

Quæso vos Lutherani ac Caluiniani, suntne hæc de ordinatione Timothei propter Timotheum tantùm, an propter vos etiam scripta? Non credo respondebitis propter Timotheum tantùm scripta esse. Si propter vos etiam, habetis igitur & vos in ordinatione Superintendentium, sic enim, vt sæpe dixi, vocatis Episcopos vestros, prophetiam & impositionem manuum, & gratiam, quæ per hæc, tanquā per instrumenta à Deo instituta, datur. At vos omnia ista negatis. Non igitur habetis Superintendentes, id est, Episcopos: & quos Superintendentes vocatis, profani & sacrilegi ministri sunt sine sacramēto, sine gratia, sine bono aliquo spirituali. Quin potius (vt liberè dicam) nudæ vmbræ sunt: immò vaniores ꝗ vmbræ: siquidem vmbræ, corporum vmbræ sunt, vt erāt vetera illa: vestri verò ministri, vmbræ sunt vestrorum phantasmatū & somniorū. Præterea, si tam studiosi estis verbi Dei, cur hoc verbum Dei frustra habetis, *Noli inquit, negligere gratiam Dei, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij? An verò non frustra habetis, qui locum ei non reliquistis? Etenim si in vocationibus vestrorum Episcoporum siue Superintendentium non habetis prophetiam neque manuum presbyterij impositionem, igitur neque vobis, neque propter vos scriptum est hoc. Sed vestri Superintendentes meliores fortasse sunt & fideliores, ac diligentiores ꝗ Timotheus, vt non sit opus his verbis vllum eorum monere, Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi, & quæ sequuntur.

*1. Tim. 4.

Deniꝗ

Deniq; si ordinationes vestrorum pastorum Lutherani & Caluiniani legitimæ sunt & Ecclesiasticæ,& secundùm regulam Apostolicam fiunt, non igitur sic ex consensu populi pendent,sicut vos traditis,vt sine eo irritę sint,cùm in ordinatione Timothei nihil legamus de populi suffragio ab Apostolo scriptum:neq; talem consuetudinem* Ecclesia Dei habeat,vt eos pro non ordinatis habeat,qui non assentiente populo ordinati sint.Immò si semel est ritè ordinatus, semper charisma spiritualis potestatis in eo est. Alioqui non docuisset Apostolus dicere cuiuis semel ordinato Episcopo, * Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi, & quæ sequuntur. In electione quidem potest illud statui, vt non habeatur electus,quem populus cum clero non elegerit,si hoc ad pacem Ecclesiæ, & honorem Episcopi,& populi obedientiam pertinere videatur. In ordinatione verò non potest, quæ semel facta per sacramentum ordinationis hierarchico ministerio celebratum,non potest deinceps irrita fieri. At nunc ministros vestros vt' populus aut magistratus vocatiōe sua fabricatur,ita suffragio suo gradu monet,& ad laicos remittit :vt quibus nullum charisma potestatis spiritualis secundùm Apostolicam regulam datum fuerit.Igitur non sunt ministri, sed hypocritæ, profani & fures:non pastores,sed lupi. Nemo iam credo est,qui non videat, quàm sint repugnantijs plena,quæcunq; Lutherani & Caluiniani dicunt:& quemadmodum quocunq; se vertant, quibuscunq; cauillationibus rationes dogmatum nostrorum tentent eludere, aut suorum defendere, verbis suis redarguantur. Sed satis hactenus de Timothei Episcopi ordinatione:ad reliqua pergamus.

*1 Cor. 11.

*1 Tim. 4.

De ordinatione hierarchica Pauli & Barnabæ Episcoporum, locus Act. 13. explicatur: & de ministerio sacrificij mystici in sacris ordinationibus celebrando. Item de manuum impositione & libri Euangeliorum. Item de unctione capitis ac manuum, an sit necessaria, & qua ratione. Et quòd ex loco Act. fluxit ritus ordinationes celebrandi in solennibus ieiunijs quatuor temporum.

CAPVT XX.

VEnio itaque ad locum Act. Apost. cap. 13. de hierarchica ordinatione Pauli & Barnabæ Episcoporum, quæ cum ordinatione Episcopi Timothei mirificè conuenit: atque illam non obscurè interpretatur. Fuit quidem Paulus, vt idem Galatis * aduersus calumniatores & contemptores suos scripsit, non ab hominibus vocatus, aut à Deo per hominem, vt Iesus Naue aut Aaron per Mosen, sed per IESVM Christum, ac Deum patrem, vt cæteri Apostoli & prophetæ. Sed quorsum isthæc segregatio & manuum impositio, postquàm suam electionem testatus est Spiritus sanctus? Respondet Caluinianis proprius eorum propheta, cuius testimonium in hoc verum est: Quorsum inquit, nisi vt ecclesiastica disciplina in designandis per homines ministris conseruaretur? Subiungit deinde, Nullo igitur illustriore documento eiusmodi ordinem approbare Deus potuit, quàm dum Paulum gentibus Apostolum destinasse præfatus, eum tamen ab Ecclesia vult designari. Ergò qui nullo hominum ministerio vocatus fuerat, vt esset Christi Apostolus, sed à Deo immediatè, hic cum Barnaba ordinatus est Episcopus, vt sicut ipse in epist. ad Corinth. * docuit, omnia ho-

*Gal. 1.

* 1. Cor. 14.

neſtè & ſecundùm ordinem fierent in eccleſia Dei. Sic factum eſt, vt de poteſtate eorum hierarchica nemo dubitaret, quippe qui per preces & impoſitionem manuum plurium prophetarum, id eſt, Epiſcoporum, ſicut ipſi ſancti Apoſtoli nobis tradiderunt, ordinati eſſent. Vt enim ſciremus, à quibus ordinati fuiſſent, & ex eo rurſus, qua ordinatione ordinati, dixit prius Lucas, * Erant autem in eccleſia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, in quibus ſcilicet doctoribus erant Barnabas & Simon: numeratque in his etiam Paulum. Scilicet prophetas dixit, vt intelligeremus fuiſſe quidem Epiſcopos, quos prophetas nominat, qui Paulum & Barnabam in Epiſcopos ordidarunt, qui prius eſſent ex numero doctorum, id eſt, presbyterorum. Nec enim veriſimile eſt, docuiſſe eos antea per annum Antiochiæ turbam multam, vt idem Lucas narrat,* & non fuiſſe Presbyteros, quorum eſt docere: vnde doctores dicuntur, vt ex oratione quoque, quæ ad ordinationem Presbyterorum adhibetur, ſicut prius admonui, intelligi poteſt.

* Actor. 13.

* Actor. 11.

Sed audiamus quid Spiritus ſanctus dicat, attendamusque ſacræ huius ordinationis deſcriptionem. Segregate inquit, * mihi Saulum & Barnabam in opus, in quod aſſumpſi eos. Quomodo autem ſegregarint, declarat quod ſtatim ſequitur, Tunc ieiunantes & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt illos. Scilicet ſegregarunt Deo, id eſt, ſanctificauerunt orando & manus imponendo, Paulum & Barnabam. Hoc enim ſignificat hoc loco ſegregare: in opus inquit, in quod aſſumpſi eos, id eſt, in opus miniſterij * ad conſummationem ſanctorum:

* Acto. 13.

* Ephes. 4.

rum: ad hoc enim posuit Deus in Ecclesia alios Apostolos, alios prophetas, alios doctores. Iamsi hanc ordinationem Pauli & Barnabæ cum illa Timothei, de qua paulò antè disseruimus, comparemus, facilè intelligemus, esse quidem in illa prophetiam, quæ hîc sunt orationes. Cùm enim esset idem sacramentum, scilicet ordinationis Episcopi, consequens est, vt ex eadem forma ac materia constaret, id est, ex precibus, siue orationibus consecratorijs, atque impositione manuum. Dixi suprà, cur Apostolus preces illas consecratorias prophetiam vocasset, & cur Episcopos prophetas, nempe quia, vt ait Dionysius in Ecclesiast. hierarchia cap. 6. sunt diuinorum iudiciorum denunciatores, nihilq́ hierarchicum facere debent, nisi vt à Deo acti: & nos rursus in ijs, quæ illi hierarchicè operantur, ad eos, tanquam à Deo actos, accedere debemus. Quæ omnia nullo verbo alio, quā prophetæ, significantius ac commodius admoneri potuerunt, in quo etiam mirabilis œconomia scripturæ sanctæ cernitur, quæ ad nostram, vt dixi, & eorum vtilitatem Episcopos voluit prophetas appellare. Vnde beatus Clemens scripturam secutus libro 2. de const. Apost. Episcopos ait prophetas esse laicorum. Hi igitur prophetæ imposuerunt manus Paulo & Barnabæ, quos in impositione manuum, quæ in ordinatione Timothei Episcopi facta est, Presbyterion, id est, cœtum Presbyterorum vocauit, vocabulo non proprio, sed generali. Sed de distinctione Episcopi & Presbyteri dicam suo loco, cùm ordinationem Timothei presbyteri, quæ per impositionem manuum Pauli facta est, tractabo.

Illud præterea obſeruandum eſt in hac Pauli & Barnabæ ordinatione, ſcilicet, ordinatos eſſe miniſtrantibus Domino prophetis illis: tunc enim iuſſit
*Actor. 13. Spiritus ſanctus ſegregare * ſibi Paulum & Barnabam: & ſegregati ſunt, id eſt, ſanctificati Deo in ieiunio per orationem & manuum impoſitionem. Quod autem genus fuerit ſacræ miniſtrationis, quæ tunc fiebat, cùm iuſſit Spiritus ſanctus ordinare Paulum & Barnabam Epiſcopos, ipſa Eccleſiæ catholicæ per omnes regiones mundi conſuetudo, quę ex hoc verbo Dei ortum duxit, maxima auctoritate & clariſſimo teſtimonio declarat. Nunquam enim celebrantur ordines, ſic enim in Eccleſia loqui conſueuimus, niſi à ieiunis & cum operatione rei diuinæ, quam Miſſam vocamus, Græci λειτουργίαν nominant, quo verbo vſus eſt hoc loco Lucas, quod propriè ſignificat ἱερατικὴν ὑπηρεσίαν, vt Grammatici Græci obſeruarunt. De ieiunio autem ſic magnus Leo teſtificatur in epiſt. lxxix. ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum: Nam præter auctoritatem inquit conſuetudinis, quam ex Apoſtolica nouimus venire doctrina, etiam ſacra ſcriptura manifeſtat, quod cùm Apoſtoli, (ſic enim interpretatur,
*Acto. 13. qu[illegible] hic Lucas * Prophetas vocauit) Paulum & B[illegible]bam ex præcepto Spiritus ſancti ad Euangelium mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes impoſuerunt eis manus: vt intelligamus, quanta & dantium & accipientium deuotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletũ, & quę ſequuntur. Huius præterea Apoſtolicæ doctrinæ de ieiunio & orationibus, ac manuum impoſitione in ordinatione Epiſcopi, te-

tis

ftis est locupletissimus Anacletus, à beato Petro, vt ipse testatur, Presbyter ordinatus. Is igitur in epist. prima affirmat se didicisse à beato Petro, vt ordinatio Episcopi cum ieiunio & precibus ac manuum impositione fieret. Addit præterea impositionem libri Euangeliorum, cuius Clemens Romanus & Dionys. Arcop. meminerunt, & insuper vnctionem capitis ac manuum. Quæ duo an sint necessitate sacramenti, an præcepti necessaria, non est huius loci aut temporis quæstio, sed vt à proposito nostro aliena. Tametsi non pertinere necessariò ad rationem sacramenti hierarchicæ ordinationis Episcopi, vnctionem capitis ac manuum, vel ex eo intelligi potest, quòd prætermissa suppleri potest, vt Innocentius III. docuit & sanxit, Ext. de sacra vnctione C. vnico.

Ex hoc loco scripturæ Act. 13. fluxit etiam consuetudo omnium totius mundi Ecclesiarum de ordinationibus Presbyterorum ac Leuitarum in solennibus ieiunijs quatuor temporum quarti, septimi & decimi, & initio quadragesimæ & medio, ac sabbato magno, vt ex epist. Gelasij Pont. ad omnes Episcopos, intelligi potest. De celebratione ergo Missæ, vt dixi, & dicam iterum, habet quoque Ecclesia Dei consuetudinem ex Apostolica traditione, & quidem non sine verbo Dei scripto ad nos profecto, cùm apertè legamus, ordinatioẽm Pauli & Barnabæ factam esse celebrãtibus Liturgiam illis ipsis, qui eos ordinarunt Episcopos. Deinde si sanxit Hyginius Pont. proximus Apostolorum successor, & eorum traditionem sequens, non esse Ecclesias sine celebratione Missæ consecrandas, quemadmodum

non hoc multò magis obseruãdum sit in consecrandis ipsis Dei & Ecclesiarum Dei ministris, quorum ministerio ad sacrificandum Deo viuenti, Ecclesiæ ipsæ consecrantur?

Collatio ordinationis Pauli & Barnabæ cum ordinationibus hierarchicis Episcoporum, quæ fiunt in Ecclesia catholica Romana. Et vnde, ac quomodo legitima ordinatio demonstretur. Quomodo Superintendentes Lutheranorum sint virgæ aridæ: et quid baculus pastoralis in ænigmate significet. Quomodo nos ad reuincendum Lutheranorum ministrorum vocationes, non allegorias, sed expressum Dei verbum adhibemus. De antiquitate Dionysij Areopagitæ. Quomodo eum Plotinus, sicut etiam Paulum, citatis eorum verbis & sententijs, reprehenderit. Cur baculus soli Pontifici non detur. Et quid significet virga Aaron nucea, secundum interpretationem Domini. Et quomodo qui allegorias spernunt, contra verbum Dei faciunt: Et interpretatio illius, Prophetias nolite spernere: Et quid sit spiritum extinguere. Et rursus de Dionysij auctoritate & libris, ex Prologo sancti Maximi ante annos octingentos: Et cur hæc pars Prologi sit à me facta latina.

CAPVT XXI.

SEd quæramus iam ex Lutheranis & Caluinianis, an hæc quæ sanctus Lucas de ordinatione Pauli & Barnabæ* scripsit, de qua hactenus disseruimus, propter Paulum ne & Barnabam scripta sint, an propter nos etiam? Si propter nos (non enim cæcitas & vecordia istorum eò processit, vt hoc saltem non concedant nobis) valent ergo hæc ad cognoscendas ac diiudicandas legitimas & canonicas Episcoporum ordinationes; vt qui non fuerint sic ordi-

*Act. 13.

ordinati, non sint Episcopi, siue Superintendentes, vt Lutherani Episcopos suos, vt sæpè dixi, nominant, verbum Græcum interpretantes, quod nos iam pro latino tritum in familiari sermone habemus: sed sint potius lupi, non parcentes gregi. Nostri itaque Episcopi iuxta verbum Dei, ab Episcopis per orationes siue benedictiones, & mysticam mannuum impositionem, ieiunantibus illis & ministrantibus Deo, id est, sacra operantibus ordinantur: Sunt igitur sine controuersia vlla Episcopi; vt Paulus & Barnabas fuerunt. De gradu loquor, siue de gratia potestatis spiritualis, & de dignitate, non autem de merito personarum. Quis non intelligit, esse hanc demonstrationem Theologicam ex verbo Dei ductam, quod isti à nobis in omni quæstione postulant? Contrà verò, Lutheranorum & Caluinianorum Superintendentes, cùm non accipiant à prophetis, id est, ab Episcopis benedictiones consecratorias cum mystica manuum impositione, sequitur, vt non sint Superintendentes, id est, pastores, sed fures & latrones, * non per ostium legitimæ ordinationis, sed aliunde ingressi, id est, per vocationem populi aut magistratus. * Ioan. 10.

Itaque ordinatio ipsa mystica, quæ constat ex forma sacræ benedictionis, & ex mystica manuum impositione plurium Episcoporum, adhibita re diuina & sancto ieiunio ad tanti Sacramenti celebrationem, demonstratio est tùm illegitimæ, cùm profanæ ac sacrilegæ ordinationis, sicut rectum, vt quidam dixit, iudex est sui & obli-

Num. 17. qui. Et ſicut illa virga Aaron, quæ inter cæteras ſingularum tribuum virgas ſola floruit, illam populi Iſraël ſtultitiam, ſicut Clemens in ſecundo libro conſt. Apoſt. ait, repreſsit, & ſummum ſacerdotem à Deo electum ac ordinatum demonſtrauit: ſic ſacra & ſolennis benedictio hierarchica cum myſtica manuum impoſitiõe, gratiam poteſtatis ſpiritualis virtute Dei intus operante, inſtar virgæ diuinitus floreſcentis, hierarcham, id eſt, Epiſcopum à Deo electum & ordinatum, demonſtrat.] Vt ſicut dominus
*Num. 17. de virga illa dixit, * Et cohibebo à me querimonias filiorum Iſraël, quibus contra vos murmurant: ſic omnis admurmuratio laicorum aduerſus ſacerdotes Dei ceſſare debeat, ſtatim vt conſtiterit, per ſacras benedictiones & manuum impoſitionem hierarchicè ordinatos eſſe. Sicut enim tunc virga illa contra naturam, quam oculis cernimus, florente, oſtenſum eſt à Domino ipſius naturæ, electum & ordinatum ab eo eſſe Aaron, vſumq; Dominum, vt beatus Chryſoſtomus in quarto libro contra Iudæos ſcripſit, folijs virgæ virentis pro literis, ſic in ordinatione miniſtrorum Eccleſię, formula ipſa ſacrarum benedictionum ſiue orationum, & myſtica materia impoſitionis manuum, hierarchicè adhibita, vice literarum ſunt, quas Dominus, myſteriorum ſiue ſacramentorum ſuorum auctor, inſtituit, ſicut Eccleſia catholica per Apoſtolicam verbi Dei prædicationem ab initio accepit: & tanquam depo-
1. Tim. 6. ſitum fideliter cuſtodit. His inquam, myſticis literis hierarchicè delineatis, & ab Epiſcopo impreſſis, declarat Dominus à ſe electos & ordinatos, id eſt, chariſmate poteſtatis ſpiritualis, ſecundùm analogiam gradus, donatos.

Veſtrorum

vestrorum igitur Superintendentium, virgæ ô Lutherani & Caluiniani, aridæ sunt, id est, nulla est eorum spiritualis potestas: neq; magis illorum virgæ metuendæ sunt, quàm dij ex ligno aut alia materia. Si quando ergo istiusmodi Superintendentes vestri minaciter dixerint, Quid vultis? in virga *veniam ad vos, an in charitate, & in spiritu mansuetudinis? existimate vobis dici, quod Ieremias ad Israelitas scripsit, qui habitabant inter Babylonios, qui deos aureos, & lapideos, & ligneos colebant, Ne timueritis inquit *eos, quia non sunt dij. Sic isti vestri Superintendentes, dij mortui sunt, non habent virgam, id est, non habent charisma potestatis spiritualis in opus ministerij, id est, ad regendum, coërcendum, puniendum, roborandum, reducendum ac sustentandum: quæ omnia baculus pastoralis, cuius illa virga Aaron typus fuit, in ænigmate significat. Sed ridebunt fortasse Lutherani & Caluiniani, & has allegorias ludum putabunt: nos verò non allegorijs cogere studemus: neque veritatem nostrarum ordinationum allegorijs astringere: scimus enim non inesse eis hanc vim. Immò habemus verbum Dei expressum ad destructionem (sicut Apostolus ait*) munitionum, & redigendum in captiuitatem omnem intellectum, quod est, sicut pater Chrysostomus interpretatus est, rationes falsas refellere ac conuincere in obsequium Christi. Habemus inquam, verbum Dei, quo hierarchicas ministrorum Ecclesiæ nostræ ordinationes defendimus; vestrasque munitiones, id est, vestra argumenta, quibus mendacia munitis, destruimus, vt captiuos ducamus in obsequium Christi.

*1 Cor. 4.

*Baruch. 6.

*2 Cor. 10.

Christi. Cuius verbo repugnatis, dum sacerdotium ex baptismo cum sacerdotio ex hierarchica ordinatione confunditis, vt hierarchicum sacerdotium ex Ecclesia tollatis. Item Episcopos hierarchicè ordinatos ex Ecclesia tollitis, vt secundùm vestrum nouum Euangelium, quod patriarcha vester Lutherus inuenit, laicos principes, ac populos ipsos Prophetas faciatis, qui suis sacrilegis vocationibus pseudo Aarones vestros ad tabernaculum, vel potius ad tabernas & cauponas vestrarum Synagogarum applicent. Hæc inquam, monstra vestra, gladio nos expressi verbi Dei iugulamus, licet vos negetis: allegorijs verò si quando vtimur, ad confirmationem vtimur. Hanc enim partem Theologiæ mysticæ cum verbo Dei connexam esse diuinus Dionys. in epist. ad Titum scripsit. Quod quidem Apostolicus auctor à sanctis Apostolis didicit, cuius auctoritate aduersus Lutheranos & Caluinianos frequenter vti solemus: etsi illi quidem, quia se tanti auctoris pondere premi sentiunt, magno studio contendant, non esse illum veterem à Paulo Apostolo ad fidem conuersum, Hierothei Episcopi Atheniensis discipulum & successorem, vt Dionysius Alexandrinus affirmat. Vnde quidam sectæ illorum nuper Clementem philosophum, quem Dionysius Areop. in diuinis nominibus de idæis differens citat, Clementem Alexandrinum esse falsò testatur.

Ego verò tametsi antiquitatem eius & auctoritatem multis rationibus probare possem, vnam tamen ex omnibus, quoties hic locus incidit, eò libentius

eligere

eligere soleo, quòd eam vos Lutherani imprudentes & nolentes, magis vestro mendacio confirmatis. Vos enim non esse veterem illum contenditis, quia Clementem philosophum, id est, Alexandrinum, vt interpretamini, diu post illius veteris ætatem natum citat. Ego rursus esse illum veterem demonstro, quia Plotinus Clemente Alexandrino antiquior, qui permulta ex hoc Dionysio mutuatus est, vt separatim, si dominus voluerit, alio tempore & loco, opere proprio docebo, hunc ipsum Dionysium notat, licet propter inuidiam nominis nominare noluerit: vt cùm reprehendit, quod quidam dicit, malum esse ἀδυναμίαν, καὶ ἀσθένειαν, id est, impotentiam, vt ita dicam, & infirmitatem. Dicit autem Dionysium Areopagitã, cùm ait, Quidam dicit: qui hoc in diuinis nominibus cap. 4. scripsit: ex quo capite alia non pauca idem Plotinus sumpsit. Sed ne rursus mirum & incredibile istis videatur, hunc nostrum Dionysium hic à Plotino notari, quia non notet nominatim, sciant Paulum quoque Apostolum eodem modo, id est, tacito nomine ab eodem Plotino reprehendi, vt cùm in libro de prouidentia cap. 4. ait: Non est, vt quidam putat, ordo propter præuaricationem: neque lex propter legis transgressionem, ἵνα γένοιτο ἐκεῖνα διὰ τὰ χείρω, καὶ ἵνα φαίνοιτο, & quæ sequuntur: Dixit autem hoc Apostolus in epist. ad Galatas cap. 3. Aut ergo negent Lutherani, notari hic Paulum à Plotino, quia eum non nominat: aut si hoc in Paulo negare non possunt, nec in Dionysio possunt.

Sed redeo vnde digressus sum, id est, ad genus my-

sticæ Theologiæ, quod diuinus Dionysius ab Apostolis didicit, quo etiam Paulus Apostolus vsus est, licet Paulus per spiritum Dei propheticum vsus sit, quo Apostoli & Prophetæ, sancti Dei homines inspirati, sicut beatus Petrus ait, * locuti sunt.
* 2.Pet. 1.
Cuiusmodi est illud de duobus filijs Abraæ, altero ex ancilla, altero ex libera: quæ sunt, inquit, * per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo testamenta.
* Gal.4.
Immò tota lex spiritualis erat, & vmbram * habebat futurorum bonorum. Ad hoc igitur genus mysticæ Theologiæ pertinet, quod paulò antè dicebam de virga * Aaron diuinitus florescente, quæ in Spiritu significabat charisma potestatis spiritualis nostrorum Episcoporum, cuius potestatis symbolū est baculus, qui omnibus Episcopis cum benedictione datur, prętereꝗ Episcopo Romano, quod ad mysterium quoq; pertinet. Scilicet quia hunc Moses repræsentabat, qui fuit, vt ait Dionys. Areop. in eccle. hier. cap. 4. primus magister ac dux hierarcharū legis: qui Aaron iussu Dei consecrauit. Sic Pontifex Romanus Petri principis Apostolorū successor, cęterorū Episcoporū princeps est atq; dux, per quem, & sub quo quisq; Episcopus potestatē & symbolū potestatis, baculū accipit: sicut per Mosem, & sub Mose virgam accepit Aaron, quæ nutu Dei floruit, vt ordinatum à Deo ostenderet. Ac rursus, quod illa ipsa virga Aaron, quę floruit, nucea erat secundū 70. interpretationē, ad mysteriū quoq; pertinebat. Significabat enim in spiritu, potestatē spiritualem hierarcharum noui Testamenti participationē esse potestatis Christi post mortē resuscitati, cui data est * omnis potestas in cœlo & in terra post resurrectionē suā, sicut dixit.
* Heb. 10.
* Num. 17.
* Matth. 28.

dixit. Nux enim, quia vim habet conciliandi somnū vt philosophi, qui de naturis stirpium scripserunt, tradunt, e somno autem euigilamus; idcirco symbolum est resurrectionis in scriptura; resurrectio enim quædam est quasi è somno euigilatio. Notauit hoc quoq; beatus Cyrillus in Glaphyris, quæ in Genesim scripsit, cùm mysterium in illis virgis Iacob nuceis interpretaretur. Immò ipse dominus hoc mysterium nuceæ virgæ interpretatus est, cùm Ieremiam alloquens, *Quid tu inquit, vides? Baculum nuceum, ait: & dixit dominus ad me: Benè vidisti, quia euigilaui ego super verba mea, vt facerem ea. Longum esset, si vellem eorum omnium, quę ad Episcopos in eorum cultu & ornatu pertinent, mysteria veluti prophetando interpretari, quibus mysterijs plena sunt omnia, quibus hierararchicè vtuntur, vt mitra, tunica, baculus, annulus, sandalia, chirothecæ, & hierarchici cultus reliqua. *Ier. 1.

Sed Lutherani ac Caluiniani, vt carnales homines, huiusmodi prophetias spernunt, id est, allegoricas interpretationes, quæ si scripturis sanctis consonant, tenendæ quidem sunt tanq̃ spirituales, & ad firmandum in Deo vtiles. Quod qui non faciunt, ij contra verbum Apostoli, spiritum in symbolis, ceu in corpore, latentem extinguunt. Declarauit enim Apostolus, quem spiritum appellaret, qui dixerat, *Spiritum nolite extinguere, cùm statim subiunxit, Prophetias nolite spernere: omnia autem probate, scilicet in huiusmodi prophetijs examinandis; & quod bonum est, id est, quod vtile in his est, tenete. At verò Lutherani & reliqui sectarij, ne in his laborent, omnia mystica symbola à se remouerunt: nu- *1. Thes. 5.

dos habent suos Superintendentes, sine vllo ornatu symbolico: vt sicut sunt laici, & sine mysterio siue sacramento ordinationis, sic sint sine mystico cultu, in quo aliud videatur, & aliud in spiritu significetur, quod ad ædificationem corporis Christi valeat.

Sed quia de Dionysio Areopagita & eius antiquitate proximè memini, & quidam amicus meus, cùm hæc pauca de illo legisset, plura aduersus Lutheranos de eius auctoritate à me scribi velle significauit, in mentem mihi venit, eam partem Prologi sancti Maximi in Dionysium, quæ huc maximè pertinere videbatur, latinè interpretari. Quod eò libentius feci, quòd nec ea pars in ijs libris, qui in publico feruntur, integra est, sed mutila, neque auctori suo adscripta, nec ab Ambrosio Camaldulensi monacho integrè, sed mutilè in latinum conuersa. Ergo sanctus Maximus, qui ante años octingentos scholia in libros Dionysij Areopag. eruditissimè, licet nimis concisè, scripsit, alia præfatus, vt inde partem Prologi interpretari incipiam: Creatur inquit, Dionysius à beato Paulo Episcopus eorum, qui Athenis crediderant, vt in 7. libro constitut. Apostolicarum scriptum est. Licet autem admirari huius sancti viri rectam fidem, & multiplicem eruditionem, & quàm multa traditionum Ecclesiasticarum scientia præditus fuerit: tum etiam contemplari licet, quemadmodum falsa & adulterina gentilium dogmata ad veritatem traduxerit. Sed est magis miseranda ac dolenda quorũdam incuria, qui ita sunt negligentes examinatores eruditionis, vt aliorum deinceps hominum eruditas compositiones sua metiantur inscitia.

Huius

Huiusmodi ergo homines cùm scripta quorundam legunt, & fortasse sensum eorum, quę dicuntur, non percipiunt, ad scriptorem temerè calumniandum continuò feruntur. Quamuis omnino non possint ea corrigere, neq; redarguere, quib. se offendi aiunt, cùm deberent potius sibi irasci, & molestè ferre, quòd non sint ipsi studio suo hanc sublimem & limatam cognitionem assecuti: aut, vt verum dicam, quòd non ad eos, qui in his valent, studio discendi adierint, vt sibi dubitationes tollerentur. Immò audent nonnulli diuino Dionysio conuitium hæreseōn facere, qui prorsus ignorant, quæ sint hæreticorum dogmata. Etenim si cum singulis eorum, quæ in hæreticis damnata sunt, Dionysij dogmata compararent, cognoscerent tantum inter illa praua, & hæc interesse, quantum inter lumen verū & tenebras. Et paulò pòst: Sit ita, inquiunt, & non scripsit eius opera Eusebius Pamphili, immò nec Origenes: quibus respondendum est, multa Eusebium præterijsse, quę ad manus eius non venerunt. Siquidem nec ipse ait se vniuersa congregasse, quin potius fatetur, innumerabiles libros esse, qui nunquam ad eum peruenissent. Ac possem ego multos libros commemorare, quos ille non est nactus: & eorum quidem, qui suę regionis fuerunt, vt Himenæi & Narcissi Episcoporum Hierosolymitanorum. Atqui nactus sum ego quædam Himenæi. Item neq; Panteni opera retulit Eusebius, neq; Clementis Romani præter duas Epistolas, immò nec aliorum plurimorum. Origenes verò nescio an omnium, vix autem quatuor librorum eius meminit. Diaconus verò quidam Romanus, Petrus nomine, narrauit mihi, omnia Dionysij

opera

opera in Romana bibliotheca inter libros sacros reposita seruari. Et paulò pòst. Hoc autem probat esse verè hos libros Dionysij, quod meminit ἀνεπιτηδεύτως, id est, non de industria de quibusdam dictis eorũ, qui fuerunt eius ætatis æquales, quorum facta est in actis Apostolorum mentio. Et Pauli epistolæ declarant, esse scripta eius ab omni fraude & insidijs libera, ac maximè omnium tutissima dogmata. Opus igitur erat commentarijs ad explanationem multiplicis eruditionis eius, sed ego concisè ac summatim, quantum loci ipse codex cessit, quę mihi visa sunt, Deo confisus, appositis scholijs in ijs libris, qui ad manus meas venerunt, notaui. Illud autem aduertendum est, nonnullos gentilium Philosophorum, præsertim Proclum, sæpenumero theorematibus beati Dionysij, atque adeò ipsis etiam verbis nudis vsos esse. Ex quo suspicari licet, antiquiores Philosophos Athenis opera illa, quorũ in his libris meminit, cælasse, sibique vindicasse, vt ipsi diuinorum librorum auctores viderẽtur. Factumque est Dei consilio, vt hoc opus quod in manibus habemus, in lucem prodierit, ad coarguendam illorum inanis gloriæ cupiditatem, & fallacem vsurpationẽ. Quòd verò soliti essent nostra sibi vindicare, docet beatus Basilius in homilia in illud, In principio erat verbum, his verbis: Scio multos eorum, qui extra viam veritatis de sapientia seculari gloriantur, admiratos esse hęc, suisque scriptis inserere ausos fuisse: fur enim est diabolus, & nostra suis vatibus & nuncijs effert. Hactenus ille. Quis autem hoc negare potest, præsertim cùm Numenius Pythagoricus, nõ ex nostris vnus, sed aduersarius, aperte dicat, Quid est

Plato,

Plato, nisi Moses Atticus? vt testatur Eusebius, neque solũ nunc, sed ante Christi aduentum Philosophos gentiles, nostra furari solitos. Quia verò nonnulli aiunt, non esse diuini Dionysij opera, sed cuiusdam auctoris postea nati, necesse est, vt quædam prohibita & absurda contra se mentiatur, quòd scilicet cum Apostolis versatus fuerit, & ad eos scripserit, quorum nec ætate fuit, neque ad eos scripsit: finxisse verò prophetiam Apostolo Ioanni cùm esset in exilio, quòd ad Asiam rediturus esset; & solita docturus: hominis est hoc monstra loquentis, ac prophetæ gloriam aucupantis. Præterea dicere, se tempore passionis cùm Apollophane versantem, de illa solis defectione, quæ non solita naturæ via facta esset, vnà philosophatum: item interfuisse cum sanctis Apostolis, cum efferretur sanctum corpus virginis Mariæ matris Dei. Tum recitare locos ex epitaphijs & hymnis funebribus in eam magistri sui Hierothei: adhæc fingere epistolas & libros, tanquã ad discipulos Apostolorũ missos, res est absurdissima, & damnanda in quouis de vulgo homine, nedum in viro & moribus & scientia tam perfecto & excelso, vt superaret quæ sub sensum cadunt, & secum illis pulcherrimis cœlestium mentium naturis, & per eas cum Deo, quoad fieri posset, coniungeret. Hactenus ex Prologo sancti Maximi in diuinum Dionysium, in cuius libros multo ante sanctum Maximum tempore, Dionysius Alexandrinus scholia scripsit, vt Anastasius Antiochenus, qui illis vsus est in libro, quem ὁδηγὸν vocat, testatur: cuius etiam operum Ammonius Alexandrinus in 2. libro contra Iulianum meminit. Item Origenes, vt sanctus quoque Maxi-

mus testis est. Si mihi tempus esset, facilè demonstrarem, quàm multa ab eo furatus sit Plotinus, & Proclus in suis Theologicis theorematibus, quæ Nicolaus Methonensis doctè refellit & redarguit. Experiatur cui otium suppetit, hoc genus studij, quod quidem fateor non vacare vtilitate & voluptate. Quòd si adhuc Lutherani libros Dionysij negare pergant, quis miretur, qui sciat eos adhuc epistolam Iacobi, & alios scripturæ sanctæ libros, negare?

De ordinatione Timothei Presbyteri explicatio: Et quare prius meminit Apostolus de ordinatione Timothei Episcopi. Et de loco epist. ad Titum: Reliqui te Cretæ, ut constituas Presbyteros per ciuitates. Et collatio uocationis ministrorum Lutheranorum cum his locis; & de communitate nominis Presbyteri cum Episcopo, & Episcopi cum Presbytero, unde ducta sit. Et quomodo differentia istorum ordinum non tollatur communitate nominum. Et quid B. Hieronymus de distinctione horum ordinum scripserit & senserit. Et quomodo ex scriptura, & ex traditione Apostolorum, literis à Clemente Romano mandata demonstretur eorum distinctio, & Episcoporum supra Presbyteros præstantia.

CAPVT XXII.

HActenus de ordinatione Pauli & Barnabæ Episcoporũ. Sequitur, vt de ordinatione Presbyteri Timothei disseramus, de qua cum Apostolus Paulus admonet inquiens, *Resuscita gratiam Dei, (*2. Tim. 1.) „quæ in te est per impositionem manuum mearum. Quòd si hæc quoq; non propter Timotheum tantùm scripta sunt, sed propter nos etiam, quod nemo credo, ne hæreticorum quidem, negare audebit, necessariò consequens est, esse in Ecclesia catholica

Pres-

Presbyteros, per impositionem manuum Episcopi, ad similitudinem ordinationis Timothei, ordinatos. Alia est enim hęc ordinatio, vt putamus, ab illa, quę in epistola priore * descripta est, quæ erat ordinatio *1.Tim.4. Episcopi, quę fit nō per impositionem manuū Presbyteri, id est, Episcopi, sed Presbyterij, hoc est, pluriū Presbyterorum, qui sint Episcopi. Meminit autem prius ordinationis Episcopi, & si posterior erat ordinatione Presbyteri, quia de ijs, quæ ad Episcopi gradū atque munus pertinebant, tūc loquebatur. Præcipiebat enim Timotheo, vt fieret forma gregis sibi commissi, sicut beatus Petrus * Episcopis præcepit. *1.Pet. 5. Eodē enim verbo Græco vsus est Paulus, quo beatus Petrus: q̃d in epistola Petri formā, in epistola Pauli ad Timoth. exemplum, vertit interpres. Exemplum inquit, * esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in *1.Tim.4. charitate, in fide, in castitate. Deinde subiungit, No- » li negligere gratiam, quæ in te est, & quæ sequuntur. » Quasi hoc esset negligere charisma Episcopi, scilicet non fieri formam gregis in ijs omnibus quæ dixerat. Similiter nunc hortans eundem Timotheum ad seruandam fidem, & eam forti animo prædicandam, etiamsi propter prædicationem martyrium subeundum esset: opportunè eum de ordinatione Presbyteri admonet, quia scilicet Presbyterorum sit docere verbum Dei. Idcirco igitur, postquàm dixit, * Ad- *2.Tim. 1. moneo te, vt resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum, explicans quomodo illam resuscitaturus esset, id est, quomodo facturus esset, ne per negligentiam quasi sopita esse videretur, subiungit, quod erat muneris & ordinis eius: Noli itaque erubescere prædicare & testificari

R 2 de Do-

de Domino nostro crucem, contumelias, probra, tormenta, sputa, clauos, verbera, passionem, mortem, sepulturam. Hæc enim omnia plena infamiæ ac dedecoris esse videbantur, sicut Apostolus ad Corinthios scripsit, * Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Sequitur, * Sed collabora Euangelio, seu potius, patere cum Euangelio. Hoc enim significat verbum Græcum: labores enim & tormenta prædicatorum, ait Theodoretus, labores & tormenta Euangelij vocauit, si quidẽ propter Euangelium inquit, omne genus suppliciorum perferebant.

*1. Cor. 1.

*2. Tim. 1.

Dicant ergo Lutherani & Caluiniani, an habeant ipsi huiusmodi ordinationes Presbyterorum, qualis illa Timothei ab Apostolo Paulo non propter Timotheum tantũ descripta, sed propter nos etiam? & an sic ordinati sint, qui apud eos ministrant verbo? Non enim principio licebat, nisi Apostolis & Episcopis, docere in ecclesia verbũ Dei. Vnde Apostoli cùm septem Diaconos elegerunt, * Nos inquiunt, orationi & ministerio verbi instantes erimus: quia videlicet hoc erat eorũ munus, & non diaconorum, de quibus dicam plura, cùm de eorum ordinatione & officio paulò pòst, & de toto illo loco Actuum Apost. differemus. Nunc verò respondete nobis, vobis dico, qui Caluini aut Lutheri discipuli estis, estne aliquis apud vos, qui possit dicere alicui ministro ex vestris, Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum? Quòd si est, qui iurè ac meritò possit hoc dicere, succedat ergo in locum Pauli necesse est, id

*Actor. 6.

eſt, vt ſit Epiſcopus. Epiſcopus ergo eſt magiſtratus, aut populus. Hi enim ſunt, qui apud vos ad miniſterium verbi & ſacramentorum vocant, id eſt, qui vt miniſtri, tribuunt gratiã miniſtrãdi verbo & ſacramentis. Quòd ſi hoc etiam veſtro teſtimonio falſum eſt, conſequens eſt, nullos eſſe apud vos veros miniſtros verbi ac ſacramentorum, id eſt, hierarchicè ordinatos, ſed potius fictos & ſimulatos, non Eccleſiaſticos diſpenſatores, ſed ſcenicos choragos.

Illud etiam eſt hîc obſeruandum, quod hîc in deſcriptione ordinationis Timothei Presbyteri prætermiſſum eſt, ſupplendum eſſe ex deſcriptione ordinationis Presbyterorum, quam Paulus & Barnabas per ſingulas ciuitates fecerunt, cùm reuerterentur Lyſtram, Iconium & Antiochiam, ſicut Lucas narrat. Sic enim ait, * Cùm ordinaſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, precatione facta cum ieiunijs. Factam dicit ordinationem Presbyterorum per orationem conſecratoriam, quam Dionyſius vocat ἐπίκλησιν ἱεροποιόν, quæ eſt forma, ex cuius commemoratione intelligenda eſt materia, quæ eſt impoſitio manuum, quæ commemorata & expreſſa eſt in ordinatione Timothei Presbyteri. Ex qua rurſus ibi intelligi voluit Apoſtolus συνεκδοχικῶς, ſiue περιληπτικῶς conſuetudine ſcripturæ ſanctæ formam, quæ eſt in Actis Apoſtolorum commemorata. In ordinatione verò eiuſdem Timothei Epiſcopi vtrunque commemoratum eſt, id eſt, materia impoſitionis manuum & forma, quam prophetiam vocauit, vt ſuo loco interpretati ſumus. Sic ſolet ſcriptura ſancta ob ſtudium breuitatis vti fre-

*Actor. 14.

*1. Tim. 4.

quenter Synecdoche, & loqui περιληπτικῶς, ex vna parte totum significans comprehensè. In epistola verò ad Titum maiore adhuc breuitate vsus est. Reliqui inquit, *te Cretæ, vt corrigas ea, quæ desunt, & constituas Presbyteros per ciuitates, sicut ego tibi disposui, scilicet per impositionem manuum cum orationibus & ieiuniis: siue accipiamus de ordinatione Episcoporum per ciuitates maiores, vt Synodus Tolet. xij. Cap. iiij. accepit: Non enim licet per vicos, aut pagos, aut paruas ciuitates iuxta Can. Sard. vi. & Laod. l. & epis. Leonis lxxxv: qui quidem canones ex traditione Apostolicæ dispositionis ortum duxerunt: siue accipiamus de ordinatione presbyterorum per minores ciuitates. Quòd si hæc in ordinatione Presbyterorum & Episcoporum Paulus seruauit, vt ex ordinatione Timothei, & ex illa in Actis Apostolorū intelligi potest, quis cum ratione dubitare possit, quin hæc eadem Tito seruare præceperit, cùm dixit, * Sicut tibi disposui? Dispositionem ergo, id est, canonem Pauli Apostoli violat, qui non ordinat siue Episcopos, siue Presbyteros, sicut ille ordinauit, id est, cum impositione manuum & orationibus, atque ieiuniis. Respondete ergo Lutherani: quis vobis disposuit, vt sic ad ministerium verbi & Sacramentorum, ministros vestros & Superintendentes vocaretis? Quem habetis Apostolum, aut Apostolicū auctorem, qui dixerit, Facite sic, sicut ego vobis disposui, præter Martinum Lutherum, qui fuit heri & nudius tertius? Et qualis fuerit, vos scitis.

*Tit. 1.

*Tit. 1.

Sed quia hunc locum Pauli ad Titum de Presbyteris per ciuitates constituendis, nos communiter

ter tum de Episcopis, tum de Presbyteris iuxta dispositionem Pauli ordinandis interpretamur, Episcopis quidem per impositionem manuum plurium Episcoporum cum oratione per ciuitates maiores: Presbyteris verò per impositionem manuum vnius Episcopi item cum oratione, ac per ciuitates paruas, ne quis ex hac communitate nominis Presbyteri, immò etiam Episcopi, existimet non esse in Ecclesia duos ordines distinctos Episcoporum & Presbyterorum: sciat fuisse quidem appellatos à principio propriè nomine Episcopi maiores sacerdotes: nomine verò Presbyteri, minores: neque fuisse hoc consuetudine Ecclesiæ introductum, à principio autem vsum horum nominum indiscretum & indifferentem extitisse, vt quidam auctor, alioqui valde doctus, falsò tradit. Quod quidem ex viij libro Clementis Romani perspici potest: sic enim ait, cap. xlvi. in persona Apostolorum: Scitis enim eos, qui à nobis per orationem & manuum impositionem nominati sunt Episcopi, Presbyteri & Diaconi, ipsa differentia nominum, differentiam rerum declarare. Et paulò pòst: Nisi enim dispositio & constitutio aliqua esset, ac ordinum differentia, satis erat vno nomine affectos omnia ista ministeria perficere. Nunc verò cùm consequentiam rerum à Domino didicerimus, Episcopis quidem tribuimus, quæ ad principatum sacerdotij pertinebant: Presbyteris verò, quæ ad sacerdotium: Diaconis, quæ ad ministrandum vtrisque eorum. Hactenus Clemens. Nō igitur hęc nomina Episcopi, Presbyteri & Diaconi ita à principio communia fuerunt, quin propria quoque essent: id est, vnumquodque

eorum

eorum sui distincti ac proprij ordinis. Alienũ prorsus à ratione intelligendi & docendi erat, esse quidẽ à principio res distinctas, voces verò & scripturas non esse: cùm sint voces signa eorum, quæ mente concipimus, scripturæ verò vocum, quas ore proferimus. Factum est igitur in his verbis, quod in alijs scriptura facere solet. Vt enim Angeli nomen, sicut beatus Dionysius tradit, proprium quidem est eius ordinis, qui est in cœlesti hierarchia extremus; cõmune verò omnium ordinum superiorum, quia scilicet habent superiores ordines proprietates ac virtutes inferiorum, inferiores superiorum vniuersas minimè: sic quoq; quia Episcopo insunt, quæ Presbyteris & ministris, idcirco Episcopo conuenit nomen Presbyteri & ministri. Nisi quis fortè dicat, commune esse Episcoporum Presbyteri nomen, quia sit in primis Episcoporum canicies sensus, vnde dicti sunt Presbyteri, sicut scriptum est in libro sapientiæ, *Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata: & quia illis conuenit, quod dixit Dominus Mosi, *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sunt & magistri. Diaconi verò siue ministri nomen, commune est omnium Ecclesiasticorum, quòd omnium sit ministrare, vnicuiq; eorum conuenit siue in ordine superiore, siue in inferiore. Sed cur Episcopi nomen Presbyteris conueniat, non est eadem ratio. Inferiores enim non omnia habẽt, quæ insunt superioribus; est igitur alia ratio, similis videlicet atq; illa, cur dicantur virtutes ij etiam angeli, qui sunt infra virtutes, vt Angeli, archangeli, principatus & potestas, quia scilicet in omnibus

*Sap. 4.
*Num. 11.

cœlitibus, vt diuinus Dionysius tradit, est substantia, virtus & operatio. Vnde à virtute inquit, quæ his omnibus inest, virtutes periphrasticè nominantur. Ad eundem modum, ἀπὸ τοῦ ἐπισκοπεῖν, quod est, vt ita dicam, superintendere, quod est omnium presbyterorum (omnibus enim Presbyteris conuenit præesse laicis) ijdem Presbyteri per periphrasim vocantur Episcopi. Nullam itaque confusionem proprietatum cuiusque horum ordinum hęc nominum communitas inducit, quin potius plena est rationis, eruditionis, admonitionis, & consuetudine atque exemplis scripturæ sanctæ commendata.

Sed hactenus de nominibus Episcopi & Presbyteri, quorum ratio licet non satis aliquando à beato Hieronymo explicata fuerit, vt ita distinctè sicut opus erat, de distinctione horũ ordinũ loqueretur, tamen distinxisse eos tam euidens est, vt contentiosi potius sit, ne dicam parum intelligentis, de eo dubitare, cùm apertè in epistola ad Euagriũ dicat, Quod Aaron et filij eius, atque Leuitę in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, Presbyteri & Diaconi in Ecclesia vendicent. Idem rursus affirmat in epist. ad Nepotianum. Nec enim vt mihi videtur, sibi contrarius est in eadem epist. ad Euagrium, licet quibusdam scriptoribus aliter visum sit, cùm testimonijs scripturæ sanctæ probat, eundem esse Episcopum & Presbyterum: factumque esse postea ad schismatis remedium, vt vnus eligeretur, qui cæteris præponeretur. Nusquam enim dicit, idem esse Episcopum & Presbyterum. Quod quidem si dixisset, secum planè pugnasset: sed potius in locis illis, quos citat, eosdem esse ait Presbyteros & Episcopos: & eundem Epi-

ſcopum & Presbyterum. Quod tunc fortaſſis eueniebat, vt ego quidem exiſtimo, cùm tanta erat fidelium paucitas, vt non opus eſſet in ſingulis eccleſijs alio Epiſcopo & alio Presbytero, cùm vnus in vtroque gradu & ordine ſufficeret: cùm in Epiſcopo Presbyter, vt idem Hieronymus ait, contineretur. At poſtquàm cœpit opus eſſe pluribus Presbyteris, tunc non amplius erat vnus & idem Presbyter & Epiſcopus, ne tot eſſent Epiſcopi, quot Presbyteri: atque ita fieret, ſicut ait idem beatus Hieronymus, vt vnusquisque ad ſe trahens Chriſti eccleſiam rumperet. Hinc factum eſſe dicit magis conſuetudine Eccleſiæ quàm diſpoſitione domini, quod in commentarijs epiſt. ad Titum ſcripſit, vt in remedium ſchiſmatis vnus eligeretur, qui cæteris præponeretur, merito ſcilicet ordinationis ſuæ, cui conuenit Presbyteros ordinare, quod idem Hieronymus ibidem confitetur. Quid enim inquit, facit Epiſcopus in Eccleſia, quod non faciat Presbyter, excepta ordinatione? & ijs item exceptis, vt ego quidem interpretor, quæ ratione ordinationis Epiſcopo conueniunt, vt ſunt conſecrationes Chriſmatis & eccleſiarum, ac benedictiones maiores, & iudicia. Sic fortaſſis interpretandus eſt beatus Hieronymus, ne in eodem loco de eadem re ſecum diſcrepare videatur. Immò vt explanatius adhuc dicam, hoc fortaſſe beatus Hieronymus ſenſit, quòd videlicet voluiſſet Deus, vt non eſſent Epiſcopi à Presbyteris ſeparati, ſed potius idem Epiſcopus & Presbyter fuiſſet, qui tamen alia quatenus Epiſcopus facere poſſet, alia quatenus Presbyter: quod fieri non poterat, ſi idem Epiſcopi atque

pi atque Presbyteri ordo esset. Voluisset itaque Deus vtrumque ordinem sine confusione vlla coniunctum esse, sed propter schismata factum est, vt separarentur: essentque Presbyteri nudi & simplices, quibus Presbyter Episcopus, ratione ordinationis Episcopi praeesset, & Presbyteros ac reliquos ministros ordinaret. Haec autem beatus Hieronymus scripsit, ne diaconi Presbyteros contemnerent: neque se Episcopi in eosdem Presbyteros efferrent.

Sed vtcunque siue idem semper, siue variè senserit beatus Hieronymus, de quo non puto contendere oportere, nec enim vtile est: quòd duplex quidem sit ordo sacerdotum, Episcoporum & Presbyterorum, & Episcopi maiores sint, quàm Presbyteri ratione diuinae dispositionis: ita clarè ipsa Pauli Apostoli scriptura testatur, vt mirandum sit fuisse vnquam, aut esse modò, qui de eo dubitent: vel quod peius est & grauius, apertè & asseueranter negent: cùm Apostolus ad Timotheum Episcopum scripserit, *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Constat autem necesse esse, vt iudex maior sit ijs, quorum iudicio praeest. Praeterea Timotheo etiam praecepit, * vt nemini citò manus imponeret, quas constat ex scriptura, imponere Episcopum Presbyteris secundùm exemplum & dispositionem Pauli, qui Timotheum ordinauit Presbyterum per impositionē manuum suarum. Et Tito praecepit * Presbyteros ordinare, sicut ei disposuerat. Neque enim aliter ei disposuisse existimandus est, quā ipse fecerat in ordinando

* 1. Tim. 5.

* Ibid.

* Tit. 1.

Timotheo. Diaconis præterea manus ab Episcopo in eorum ordinatione imponi docuit scriptura sancta * in ordinatione septem Diaconorũ, de qua paulò pòst dicam.

* Act. 6.

Jllud postremò addam hîc, tametsi nihil de præstantia, &, vt ita dicam, superioritate Episcoporũ supra Presbyteros in libris sacris scriptum esset, tamen satis esset ita Apostolos docuisse, & per linguas doctorum ac prædicatorum, Ecclesiæ catholicæ quasi per manus tradidisse. Sic autẽ Apostolos docuisse, testis locupletissimus est Clemens Romanus, qui hanc traditionẽ in persona Apostolorũ, literis mandauit Sic enim ait libro 2. esse Episcopos Presbyteros totius populi; at Presbyteri non sic sunt totius populi Presbyteri: immò in vno populo sunt multi Presbyteri per Ecclesias ipsius populi. Item in eodẽ libro 2. infra Episcopum, velut infra caput, ait esse ordine suo Presbyteros, Diaconos, lectores, cantores, ianitores. Item lib. 8. scribit deponi Presbyterũ ab Episcopo. Rursus in eodem lib. 2, Presbyteros dicit esse Episcopi consiliarios: constat autẽ apud omnes, minores esse cõsiliarios eo, cuius consiliarij sunt. Deinde scribit idem Clemens in persona, vt dixi, Apostolorũ lib. 3. potestatem eorum, quæ ad sacerdotalẽ honorem siue dignitatẽ pertinent, ab Episcopis tribui Presbyteris, vt baptizandi, sacrificandi, benedicendi, prędicandi. Et Canon Apostolorum iubet Presbyteris, vt nihil hierarchicũ, sine Episcopi permissu & auctoritate, faciant. Itẽ eodem lib. 2. Episcopum ait esse caput cleri, & principem populi: est igitur Presbyter infra Episcopum. Si enim ęqualis esset, iam duo capita Clerus haberet. Deniq; lib. 8. cap. 46.

idem

idem Clemẽs in perſona Apoſtolorum, Neqꝫ Presbyteros inquit, fas eſt ordinationes clericorum facere, ſiquidem non licet ordinationem ſeu ordinem inuertere, cùm non ſit Deus diſſenſionis, vt inferior ordo & gradus, quod eſt ſuperioris, per vim ſibi vendicet, nouam legem in malum ſuum refingens, ignorans durum eſſe contra ſtimulum calcitrare. Nec iſti nos, aut Epiſcopos ſolummodò oppugnãt, ſed omnium Epiſcopum atque pontificem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. A Moſe namqꝫ, qui fuit Deo cariſsimus, conſtituti ſunt Pontifices, Sacerdotes & Leuitæ, à Chriſto autem ſaluatore noſtro nos tredecim Apoſtoli: ab Apoſtolis verò Clemens, Iacobus & alij nobiſcum, ne omnes iterum recenſeamus: cõmuniter verò à nobis omnib. Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi & lectores. Hactenus Clemens.

Hinc ſumpſit beatus Hieronymus, vt hoc quoqꝫ obiter obſeruetur, quod in Epiſ. ad Euagrium ſcripſit (tametſi neqꝫ Clemens hoc loco omnia enumerauit) Quæ Epiſcopo licent, Presbytero non licent, quæ ex alijs locis, aliud ex alio, colligi poſſunt. Satis ei fuit, exempli gratia, de poteſtate ordinandi clericos meminiſſe, quæ in primis, quid Epiſcopus Presbytero præſtet, quod docere volebat, demonſtret. Siquidem neqꝫ Presbyter eſſe poſsit, niſi ab Epiſcopo per hierarchicam ordinationem ad eum gradum vocetur. Immò neqꝫ factus Presbyter ab Epiſcopo, vt ait Dionyſ. Areop. ritè baptizet ſine oleo ab Epiſcopo ſanctificato: neqꝫ myſterium ſanctæ Euchariſtiæ conficiat, ſine ara ab Epiſcopo item conſecrata. Sed de ijs, quæ ſunt propria Epiſcopis, & non cum Presbyteris communia, qui

Dei, qui operatur in nobis, qui credidimus. Cui Lutherani & Caluiniani aduersantur, vt sicut idem Apostolus ait, *impleant peccata sua semper: & perueniat in eos ira Dei vsque in finem: fiatque illis sermo Dei contemptus, stimulus perpetuò crucians: & clauus igneus semper vrens. Sed pergamus ad reliqua. *Ibidem.

De ordinatione diaconorum, explicatio loci Act. Apostolorum. Et quomodo vocatio ministrorum Lutheranorum nihil commune habeat cum exemplo ordinationis illorum VII. diaconorũ. Et quomodo apud Lutheranos idem sit eligere & cõstituere ministros. Collatio loci Act. de diaconis cum loco epistolæ ad Timoth. Item de diaconis, & quid sit non esse bilingues diaconos, & quomodo demonstretur, non tantùm ministros mẽsarum & eleemosynarum fuisse VII. illos, sed etiam ministros mysterij Christi. Et quid vocet mysterium fidei Paulus, loquens de Diaconis: Et quòd potestas Diaconi charisma spiritus sit: Et quòd ministri sint sacerdotum, quæ est dignitas: & non tantùm ministri mensarum, quæ est cura.

CAPVT XXIII.

DE ordinatione sacra Episcopi & Presbyteri quid in scriptura cõtineatur, satis hactenus explicatũ est: sequitur, vt ad ordinationẽ Diaconorũ veniamus, videamusque, an in ea quoque Lutherani verbũ Dei adulterent, interpretantes illud more suo non secundùm spiritũ, sed secundùm carnem, id est, prophetantes non secundùm rationem fidei, spiritualibus spiritualia comparantes, sicut Apostolus præcipit, *sed secundum humanum sensum & voluntatem. Ac quia in Actis Apostolorum origo, institutum *1 Cor. 2.

tutum atq; functio Diaconorum, vt ipsi quoq; hæretici confitentur, à beato Luca describitur, excutiamus totum illum locum. Narrat ergo beatus Lucas,
*Act. 6. *crescēte in illis diebus numero discipulorum, cùm non possent Apostoli instare orationi, & ministrare verbo, ac simul etiam habere curam egentium viduarum in quotidiano ministerio, ne quid eis ad vitæ necessitatem deesset, congregasse multitudi-
„ nem discipulorum, dixisseq; eis, Nō est æquum nos
„ relinquere verbum Dei, & ministrare mēsis. Consi-
„ derate ergo fratres inquiunt, viros ex vobis boni te-
„ stimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientia,
„ quos constituamus super hoc opus: nos verò orati-
„ oni & ministerio verbi instantes erimus. Non iusserunt sancti Apostoli multitudini, vt Diaconos ad ministerium vocarent, vt hoc primùm obseruemus, sed vt considerarent, qui nam bonum testimonium in Ecclesia haberent tum à nostris, tum ab ijs, qui fo-
*1. Tim. 3. ris essent. Sicut Paulus in epist. ad Timoth. *in Episcopis, ac Presbyteris ordinandis præcepit, vt quos multitudo peteret, probaret & eligeret, ab Apostolis constituendos, hos Apostoli sancti diaconos cōstituerent ac præficerent, id est, ordinarent. Primùm igitur dicant hîc Lutherani atq; Caluiniani, an hoc exemplum hierarchicæ ordinationis in suorum ministrorum vocationibus imitentur? Nunquid vulgi multitudo, aut magistratus eligit, quos ipsi successores Apostolorum, id est, Episcopi ministros, vel Superintendentes ordinando constituant? an non potius eligendo ac vocando ad ministerium verbi & sacramētorum, sic ministros suos & Superintendentes constituunt? scilicet vt hoc sit apud illos eligere,

gere, quod constituere & ordinare: & hoc vocari à populo, quod præfici: vt populus inquam, sit tanquam Moses, & sic impleatur ab ipsis Apostoli sententia, *Nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, quem videlicet Moses ordinauit. *Heb. 5.

Sed pergamus ad reliquas loci huius Actuum Apostolicorum obseruationes. Præcipiunt Apostoli *considerare viros plenos Spiritu sancto & sapientia. *Actor. 6. An non satis his verbis Apostoli docuerũt, plus aliquid, quàm ministerium mensarum ad Diaconos istos pertinere, quos plenos Spiritu sancto & sapientia esse vellent? At quid istud quæso magni mysterij in ministerio illo quotidiano victum viduarum curandi inerat, quod præter Spiritus sancti affluentem gratiam, parem quoque sapientiam in diaconis illis requireret? Conferamus ergo hæc, quæ sancti Apostoli in diaconis illis requirunt, cum eo, quod Apostolus Paulus de diaconis in epist. ad Timotheum ait,* vt intelligamus, ad quod nam spirituale ministerium in primis ordinarentur, in quo tãta Spiritus sancti gratia & sapientia opus esset. *1. Tim. 3. Diaconos inquit, similiter pudicos, non duplicis sermonis, siue vt vetus interpres vertit, non bilingues, id est, non inter se, & à maioribus dissentientes (sic enim magnus Athanasius in epistola de decretis Nicæni concilij interpretatus est) quod Paulus Apostolus, vt idem Athanasius ait, in præscribenda ecclesiasticæ vitæ forma, non solùm ab Episcopis, sed à diaconis requirit. Est enim, vt idem paulò suprà dixerat, à Patribus traditum, veræ disciplinæ ac magisterij argumentum, eadem confiteri, nec à se inuicem, & à maioribus dissentire. Iam ergo satis hæc

inter se conueniunt ac se mutuò explanant, scilicet oportere diaconos esse sapientia plenos, & non esse duplici sermone, siue bilingues. Siquidem vt hoc est argumentum veræ disciplinæ ac sapientiæ, magno Athanasio auctore, non dissentire inter se, neque à maioribus: sic rursus argumentum est veræ insipientiæ, inter se & à maioribus discrepare: quod hæreticis omnibus euenire videmus. Quid verò ista tanta sapientia, & idipsum dicere, quod est non esse bilingues, ad ministrandum mensis opus erat, si diaconi mensarum tantùm constituebantur? & solùm eleemosynis distribuendis præesse debebant? Quasi verò non hoc etiam schismatici & hæretici curare possint? immò interdum curent, & fortasse diligentius ac studiosius, quàm multi catholici.

Sapientia ergo necessaria erat, & necessarium manere eos in eadē regula* fidei ac doctrinæ sanæ, quam à Patribus accepissent, qui constituebantur diaconi mysterij Christi. Vnde sicut diuinus Dionysius Apostolicus auctor tradit, τοὺς ἀτελέστους, id est, eos, qui nondum baptizati sunt, diaconi purgant καθαρτικαῖς τῶν λογίων ἐλλάμψεσι καὶ διδασκαλίαις, id est, lumine ac doctrina sanctarum scripturarum, quibus vis purgandi inest: & eos inquit, qui mysterium sanctæ Eucharistiæ videre non possunt, neque communionis sacræ participes fieri, ex Ecclesia eijciunt, vt cætera, quæ ad eorum ministerium pertinent, nunc prætereamus. Item beatus martyr Ignatius, auctor quoque Apostolicus, & Apostolorum discipulus, in epistola ad Trallianos, Oportet inquit, eos, qui sunt diaconi mysterij Christi, omnibus modis placere omnibus. Non enim inquit, ciborum, aut potionum

* Philip. 3.

sunt

ſunt diaconi, ſed ſunt miniſtri Eccleſiæ Dei. Oportet igitur cauere eos crimina ceu ignem: ſimiliter omnes tanquam Chriſtum diaconos reuereantur. Hactenus beatus martyr Ignatius. Diaconos myſterij Chriſti vocauit, intuens, vt mihi videtur, in hunc locum epiſt. Pauli ad Tim. in quo Apoſtolus præcipit, * vt habeant diaconi myſterium fidei in conſcientia puræ; quod ita videtur beatus Ignatius interpretatus, vt perinde ſit hoc, quaſi diceret Paulus, habentes myſterium fidei, ſcilicet ad miniſtrandam eidem myſterio ſine crimine, & ſine vllius querela. Vnde Epiſcopus cùm diaconum ordinat, ſic precatur, vt à ſanctis Apoſtolis traditum eſt, & vt beatus Clemens in perſona Apoſtolorum ſcribit, Imple inquit, eum Spiritu ſancto & virtute, ſicut impleuiſti Stephanum * martyrem & paſſionum tuarum imitatorem, ac præſta, vt ſic miniſterium commiſſum immutabiliter, ſiue conſtanter, ſine querela, & ſine crimine, id eſt, pura conſcientia, vt Paulus ait, * adminiſtret, vt maiore gradu dignus euadat. * 1 Tim. 3. * Actor. 6. * 1. Tim. 3.

Exiſtimo, vt hoc quoque obſeruetur, quos Paulus dixit debere eſſe non bilingues, ſiue duplicis ſermonis, hos Clementem vocaſſe ἀτρέπτους, id eſt, immutabiles, ſiue conſtantes. Sunt enim bilingues mutabiles & inconſtantes. Quòd verò ſanctus martyr Ignatius myſterium Chriſti vocauit, quod eſt ſancta Euchariſtia, cuius diaconi ſunt miniſtri (miniſtrant enim myſticæ menſæ, id eſt, altari) Paulus * vocauit myſterium fidei: quia ſit hoc maximum fidei Chriſti myſterium. Vnde ſecundùm traditionem Apoſtolorum per vniuerſas * 1. Tim. 3.

totius occidentis Ecclesias in consecratione mystici calicis eum vocamus mysterium fidei. Et beatus Hieronymus in epist. ad Rust. Narbon. velut explicans hunc locum, Diaconus inquit, calicem tradit testis passionis, testis dispensationis, testis humilitatis. Præterea quod in eodem loco idem Apo-

Ibid. stolus diaconis præcepit, vt non sint turpis lucri cupidi, cùm hoc ipsum Episcopis quoque & Presbyteris in epistolis Pauli & Petri præcipi legamus, quis spiritualis qui omnia dijudicet, & qui spiritu-

1. Cor. 2. alibus, sicut Apostolus ait,* spiritualia comparet, non facilè intelligat, potestatem etiam diaconorum spiritualem gratiam esse, & ad spiritualia ministranda datam, quæ vt gratis accepta sit, ita quoque gratis sit vtenda, salua mercede operarij, qui dignus est

Matth. 10. cibo suo, sicut Dominus ordinauit: Itaque αἰσχροκερδεῖς vocat scriptura eos, quos Deus in Ecclesia dono suo posuit, qui gratias siue manifestationes Spi-

1. Cor. 12. ritus, vt Apostolus vocat, quas ipsis ad vtilitatem dedit, pecunia æstimari volunt, dum non gratis eas dispensant, sicut gratis acceperunt. Est igitur ministerium diaconorum charisma, siue gratia data scilicet ad ministrandum mysterio fidei Christi: alioqui non caderet in eos huiusmodi ratio turpis lucri, quam scriptura sancta sacris ministris Ecclesiæ interdicit. Nec Apostolici Patres, qui sanctorum Apostolorũ discipuli & auditores fuerunt, ministros mysterij Christi eos vocassent, sicut beatus Ignatius vocauit: neque ministros Episcoporum & Presbyterorum, sicut Clemens in persona Apostolorum libro 8. vocat, cùm ait, Consequentiam rerum à Deo edocti, Episcopis quidem ea, quę ad principatum sacerdo-

cerdotij pertinebant, assignauimus: Presbyteris, quæ ad sacerdotium: Diaconis, quæ ad ministrandum vtrisque. Diaconos verò mensarum nunquam nominarũt. Quomodo enim de eo nominassent, quod non solùm minus principale erat, sed temporarium, & vt ita dicam, accidentale: quod satis mihi Apostoli ipsi significasse videntur, cùm aiunt: *Considerate viros septem, quos constituamus super hoc opus, id est, super hanc necessitatem, viduarum scilicet. Hoc enim significat quod Græcè scriptum est, ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης. An futuri erant otiosi, quando eiusmodi necessitas non esset? hoc enim sequitur, si tantùm ministri mensarum erant. Quid inquam, agerent in diuite ac copiosa Ecclesia, vbi nulli essent, qui egerent? Sed esto, dicantur etiam ministri mensarum, sed ita, vt in primis de eo, quod maius est in illis, ministros sacerdotum vocemus & habeamus: sicut beatus Hieronymus in comment. Ezech. cap. 48. admonens Diaconos, ne se in sacerdotes efferant, ait, meminisse eos debere, se non solùm esse sacerdotum ministros (hæc enim dignitas est) sed viduarum inquit, & pauperum, quæ scilicet est cura tantùm. Item beatus Ambrosius in commentarijs Epist. Pauli ad Tim. cap. 3. Diaconos ait constare, ministros sacerdotum esse. Sed redeamus ad locum Actorum, & consideremus ea, quæ sequuntur.

*Act. 6.

Adhuc demonstratur 7. illos Diaconos sacros ministros fuisse, & non tantùm Diaconos mensarum. Et quomodo illa cura mensis ministrandi, à laicis quoq; administrari poßit iuxta Canonem Concilij Chalcedonensis. De Can. xvi. sexti Concil. Const. qui Diaconos mensarum tantùm fuisse dicit, & de auctoritate Canonum Concilij VI. & quando editi. De Canone Synodi Neocæsareensis, in quauis ciuitate etiam parua 7. Diaconos ponentis, in Nicæna Synodo reiecto. De traditione Apostolorum, vt tot sint in quauis Ecclesia Diaconi, quot neceßitas postularit, secundùm proportionem multitudinis populi. De eo, quod ait sanctus Maximus in scholijs Dionysij, fuisse suo tempore 7. Diaconos Romæ, quomodo intelligendum sit. Collatio plurium locorum ex epist. Pontificum de numero 7. Diaconorum. Quod ad Diaconum non pertineat prædicare, id est, docere in Ecclesia verbũ Dei, licet poßit prædicare, id est, legere, siue recitare; ac plures de eo canones. Quomodo non sit tenendum, quod quibusdam placet, omnibus inter initia concessum fuisse euangelizare & baptizare, & quid eos fefellerit. Quomodo Lutherani vt non habent Episcopos neq; Presbyteros, ita neque Diaconos habere, immò neq; habere Christum caput, ad quem omnis Ecclesiastica hierarchia referatur.

CAPVT XXIIII.

Actor. 6. ET órantes inquit, impoſuerunt eis manus. Vel hæc ipſa ordinatio per orationem & impoſitionem manuum facta ſatis eſſe debet ad intelligendũ, ſeptem illos Diaconos, miniſtros ſacros fuiſſe, ad quorum ſanctificationem oratio cõſecratoria, quæ, vt ſæpe dixi, ἐπίκλησις ἱερoποιός, à Dionyſio Areopag. dicitur, adhibita fuerit, vnà cum impoſitione manuum, quæ vt idem Dionyſius tradit, ſignificat ſacram poteſtatem à Deo datam, illis tribui: eosq; omnes ſuas operationes ſacras tanquam Deo eorum duce operari

operari debere. At potestas ista, vel potius cura ministrandi mensis viduarum, tametsi quodam modo & ex parte spiritualis sit, quatenus proficiscitur ex potestate illa pascendi oues data pastoribus Ecclesiæ, tamen potest à laicis suscipi & administrari, vt vel ex secundo Canone Concilij Chalced. intelligi potest. Postq̃ enim Synodus Canonem sanxit in eos, qui aliquem ex clero, quicunq; ille sit, etiam infimi ordinis, pecunia ordinant, cauet deinceps de reliquis extra clerum, qui sunt ex Canone, id est, descripti in catalogo officialium Ecclesiasticorum, quã vocant matriculam, quos pecunia promouere etiam interdicit. In his œconomum Ecclesiæ numerat Synodus, & defensorem, quem Græci appellant ἔκδικον, qui in pupillis & viduis defendendis præest, ac cæteris omnibus, qui Ecclesiæ præsidio indigent, qui esse potest aliquando clericus, si id ei Episcopus iubeat, iuxta Canonem 3. eiusdem Synodi. Ex his quoq; potest esse minister, siue dispensator eleemosynarum, ac curator mensarum vidualium. Non enim necesse est, vt sit ex clero: nec enim Ecclesiastica dignitas est, sed φρόντισμα, id est, cura iuxta eundem Canonem Concilij Chalc. nec eius creatio χειροτονία est, id est, ordinatio, sed προβολὴ, id est, promotio. Sic enim ista sapienter eadem Synodus distinxit. Hic verò in Actis Apostolorum, ne diaconos illos, quibus cura illius quotidiani victus viduarum mandabatur, quæ poterat alioqui ab hominibus laicis suscipi & geri, laicos esse existimaremus, προσευξάμενοι (inquit Lucas) ἐπέθηκαν αὐτοῖς χεῖρας, id est, orantes imposuerunt eis manus, quod χειροτονεῖν, id est, ordinare: quo verbo in ordinationibus sacrorum ministrorum, aliâs vsa est scriptura sancta.

Deum cr-

Demonſtratum itaq; ſit, ſi illi menſarum tantùm Diaconi eſſent, fruſtra per orationem & impoſitionem manuum ordinatos fuiſſe, quippe cùm à laicis miniſterium illud curari potuiſſet, vt ex canone Cõcilij Chalc. docuimus. Reſpondeamus ijs, qui Canonem xvi. ſexti concilij Conſt. in Trullo habiti nobis fortaſsis obijcient, in quo illius concilij patres auctoritatem beati Chryſoſtomi ſecuti, decreuerũt, non fuiſſe ſeptem illos Diaconos myſteriorum, ſed menſarum vidualium, Neocæſarienſisq; ſynodi extremum Canonem improbarunt. Quanta verò ſit Canonum concilij vi. auctoritas, in libro de actis ſextæ & ſeptimæ Synodi docuimus. Non enim fuerunt ab ijs ſanciti, qui Concilium illud vi. alioqui ſanctiſsimum, habuerunt, ſed ab alijs patribus annis 27. aut 28. poſt habitum Concilium, vt ex notatione temporum & ſucceſsionis tum Imperatorum, tum Patriarcharum ſanctus Confeſſor Theophanes Taraſij Patriarchæ Conſt. Syncellus Græcus auctor idemq; grauiſsimus, & Anaſtaſius cognomento Bibliothecarius eum ſecutus, demonſtrarunt. Itaq; Canones iſtos nũquam Eccleſia catholica probauit per omnia, quòd aliqui ex eis falſi ſint, vt nos in illo libro quem dixi, demonſtrauimus. Ex quorum numero eſt Canon iſte xvi. de ſeptem Diaconis, licet in auctoritate beati Chryſoſtomi, alioqui ſanctiſsimi & ſapientiſsimi, nitatur, cui tamen nos auctoritatem Synodi Neocæſarienſis, quæ maior eſt, opponimus, quæ ſeptẽ illos Diaconos in Actis Apoſtolorum myſteriorum Diaconos eſſe iudicauit, vt ipſa illa ſexta Synodus Conſtantinopolitana iudicaſſe confitetur. Tametſi in eo eadem Synodus

Neocæsar. non teneatur, quòd totidem diaconos, id est, vij. in quauis ciuitate, licet parua, oportere esse decreuit. Quod quidem tametsi sexta synodus illo decimo sexto canone non improbauit, improbasse tamen synodum Nicænam testatur septima actio synodi Florentinæ: in qua scriptum est, approbatam fuisse à synodo Nicæna synodum Neocæsariensem cum Antiochena & Ancyrana: Canonem tamen synodi Neocęsariensis de vij. diaconis, in quauis ciuitate, licet parua, constituendis fuisse reiectum. Cur verò reiectus fuerit, intelligi potest ex libro 3. Clementis Romani de const. Apost. Sic enim ait Clemens in persona Apostolorum. cap. 19. Sint diaconi in omnibus sine macula, sicut Episcopus, ἀνάλογοι πρὸς τὸ πλῆθος τῆς ἐκκλησίας, id est, sit numerus eorum pro portione multitudinis Ecclesiæ: vt possint inquit, ministrare infirmis, tanquam operarij non pudendi.

Hæc est igitur Apostolorum traditio, quæ per vniuersas Christi ecclesias vsque in hodiernum diem seruatur, vt tot esse possint mysteriorum diaconi in ecclesijs, quot pro multitudine Ecclesiæ opus fuerint. Idcirco canon ille synodi Neocęs. iustis causis aliquando reiectus est. Quare cum ait sanctus Maximus in scholijs Dionysij Areop. eccles. hierar. cap. 3. septem tantùm diaconos Romæ suo tempore ministrare solitos, eosque à Dionysio vocari ἐκκρίτους quasi eximios & primarios diaconos, nón est existimandum descendisse hunc numerum ex illo canone synodi Neocæsariensis, sed potius ecclesiam Romanam iam inde à temporibus Apostolorum, tanquam magistram omnium Ecclesiarum, septem illos diaconos

ab Apostolis ordinatos, numero totidem diaconorũ tum honorare, tum de eorum exemplo & officio, & gradu cunctas Ecclesias admonere voluisse. Sunt autẽ hodie isti ἔκκριτοι, quos Dionysius vocat, quosq; sanctus Maximus septem Diaconos Ecclesię Romanæ interpretatur: sunt inquam, fortasse septem diaconi Cardinales, quos tãq; primos & omniũ lectissimos idem Dionysius sancto Maximo interprete Hierarchæ, id est, Episcopo magna mysteria, de quib. in eo capite tractat, celebrãti, adhibuisse videtur. Vt enim mysteriorum sanctæ Eucharistię celebrationẽ, quam describit, quo solennior esset, personæ Episcopi accõmodauit, sic quoq; primos ac lectissimos diaconos in magnis mysterijs ministrare facit. Nisi quis forte malit dicere, ἐκκρίτους vocasse quoscunq; diaconos; qui sunt illi quidẽ ἔκκριτοι, si cum hypodiaconis ac reliquis ministris comparentur. Tametsi mihi, vt q̃d sentio dicam, magis sancti Maximi sententia probetur. De his septem diaconis intelligendum esse opinor, quod Fabianus Pont. his verbis in epi. 1. scripsit, Septẽ diaconos in vrbe Romana per septẽ Ecclesias seu regiones ciuitatis, sicut à Patribus accepimus, habemus: qui per singulas hebdomadas, & dominicos dies ac festiuitatum solennia, cum subdiaconis & acolythis & sequentium ordinum ministris, iniuncta sibi obseruarent ministeria; & parati essent omni hora ad diuina officia, & quicquid eis iniungitur, peragendũ. Deinde subiungit, Similiter et vobis prout opportunum fuerit, per singulas ciuitates est faciendũ, vt diuinum absq; vlla mora & negligentia studiose atq; solenniter agatur officium. Cum dixit, Similiter & vobis, prout opportunum fuerit, per singulas

gulas ciuitates est faciendum, satis significauit nõ esse tenendum canonem synodi Neocæsariensis, qui iubeat, in qualibet ciuitate, quamuis parua, septem diaconos fieri, sed potius accommodandum esse numerum diaconorũ ad proportionem Ecclesiæ, iuxta constitutionem Apostolorum à Clemente Romano descriptã, & à me paulò suprà recitatam. Idem intelligere licet ex epistola Caij Pont. Regiones inquit, sicut in hac vrbe fecimus, per singulas vrbes, quæ populosę fuerint, diaconis diuidentur. Non dixit, septẽ diaconis, sicut fuerat vrbs in septem regiones diuisa, sed diaconis: vt scilicet intelligeremus, accommodãdũ esse numerũ, vt dixi, ad proportionem multitudinis populi. Fuit autẽ Syluester Pont. sicut memoriæ proditum est, qui primus septem regiones vrbis totidem diaconis distribuit, quos synodus etiã Romana act. 1. nominatim numerauit. Illud verò Euaristi cap. 1. Diaconi, qui quasi oculi videntur esse Episcopi, in vnaquaq; ciuitate iuxta Apostolorũ constituta, septẽ debent esse, qui custodiant Episcopũ prædicantem, & quę sequunt: non est sic intelligendũ, quasi constituerint Apostoli, vt septem diaconi in vnaquaq; ciuitate essent, quod quidem nunq̃ Apostoli constituerunt, nec hoc Euaristus dicit, sed potius cõstituisse, vt essent diaconi in vnaquaq; ciuitate quasi oculi Episcopi: quod quidem libro 2. const. Apost. à Clemente Romano scriptũ est: Ait. n. oportere esse diaconum auditum, oculos, cor et animam Episcopi. Congruit cum his quod ait idem Clemens in epis. 1. vt diaconi sint tanq̃ oculi Episcopi obseruantes, & circumlustrantes cũ verecũdia actus totius Ecclesię, & perscrutantes diligentius, si quem videant vicinũ

fieri præcipitio, & proximum peccato, vt referant Episcopo, vt ab eo reuocetur, & quę sequuntur. Hoc igitur est, quod Euaristus dicit, constitutum esse ab Apostolis, vt in omni Ecclesia diaconi, tanquā oculi Episcopi, actus ipsius Ecclesiæ lustrarent, ad renunciandum Episcopo. Hos verò Euaristus septem esse iussit, non quidem ad ministrandum mysterijs, sed ad custodiendum Episcopum prædicātem, tunc scilicet, cùm periculum ab insidiatoribus imminebat. Ante Euaristum verò Anacletus in epist. 1. iussit, vt in solennioribus diebus septem, aut quinq;, aut tres diaconos secum Episcopus haberet, cùm sacrum faceret. Nec hic Pont. septem diaconos in quauis ciuitate iussit esse, sed vbi Episcopus rem diuinam faceret, ibi diebus solennioribus septem ei diaconi, aut quinque, aut tres ministrarent. Sic Euaristus, vt dixi, non iussit, vt in qualibet ciuitate septem diaconi essent, sed vbi Episcopus prædicaret, ibi eum septem diaconi custodirent prædicantem, scilicet propter illorum temporum difficultatem: nihil verò dixit de ministerio altaris.

Hactenus de numero diaconorum explicatum sit, in quo propter varietatem atque obscuritatem scribentium, aliquantum ratio confusa esse videbatur. Beatum verò Ambrosium existimo secutum esse canonem concilij Neocæs. in com. epist. Pauli ad Tim. cap. 3. cùm ait, Nunc autem septē diaconos esse oportet, & aliquantos Presbyteros, vt bini sint per ecclesias, & vnus in ciuitate Episcop⁹. Secutus quoq; est beatus Isidorus, cum libro secundo de ecclesiasticis officijs, Apostoli inquit, vel successores Apostolorum

lorum decreuerunt, per omnes Ecclesias septẽ diaconos ordinandos esse, qui sublimiore gradu cæteris proximè circa aram Christi, quasi columnæ assisterent, non sine aliquo septenarij numeri mysterio. Sed hactenus de canone Synodi Neocęsariensis.

Vt verò iam locum de diaconis finiamus, vtrum eorùm sit, ministrare verbo in Ecclesia, satis ipsi Apostoli docuisse videntur, non esse, cùm aiunt: * Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus: tanquam ad solos sacerdotes hoc pertineret. Vnde Clemens in persona Apostolorum libo 3. const. Apost. cap. 20. eodemq́ extremo, Presbyteris tantũ fas esse ait, docere, sacrificare, baptizare, benedicere populum. Deinde subiungit, diaconum verò Episcopo & Presbyteris ministrare debere: non autem reliqua ei facere licere. Quare cùm ait Gregorius dist. 92. ca. in sacrosancta Rom. Diaconos ad prædicationis officium & eleemosynarum studium vacare debere, accipiendum forsan est prædicationis officium pro officio legendi Euãgelium: quod paulò pòst declarat, cùm munus Euangelicæ lectionis diaconis assignat, hypodiaconis psalmos & reliquas lectiones. Similiter accipiendum esset illud Isidori dis. 25. ex epis. ad Ludifredum, ad diaconos pertinere, prædicare Euangelium & Apostolum. Et rursus libro 2. de Ecclesiasticis officijs, cap. 8. de diaconis: Ipsi quoq́ inquit, euangelizant: vt hoc sit euangelizare, quod recitare Euangelium. Idem adhuc clarius libro 1. de Ecclef. off. cap. 10. Ideo inquit, clara voce silentium admonet diaconus, vt siue dum psallitur, siue dum pronunciatur, ab omnibus vnitas conuersetur, vt quod omnibus prædica-

* Actor. 6.

tur, æquè ab omnibus audiatur. Et rursus libro 1. cap. 11. de Lectoribus: Sunt inquit, lectores, qui verbum Dei prædicant, id est, recitant. Vnde in Vasensi Cōc. Si Presbyter inquit, aliqua infirmitate prohibente per se ipsum nō potuerit prædicare, sanctorum Patrum homiliæ à diaconis recitentur. Si enim digni inquit, sunt diaconi, quæ Christus in Euangelio locutus est, legere, quare indigni iudicentur sanctorum Patrū expositiones publicè recitare? Idem quoq; docuit synodus Rhemen. cap. 4. & 5. pertinere ad ministerium diaconi legere Euangelium: ad hypodiaconi, epistolas Pauli. Vnde Benedictus Pōt. in epis. ad Archiepis. & Epis. regni Caroli, quēdam Hubertū clericum excōmunicat propter multa scelera, ex quibus erat vnū, quòd sacrorum inquit, fuit cōiunctus numero clericorum, adeò vt in diuinis celebrandis mysterijs, more subdiaconorum sacras lectiones, conscendens ambonem, populo nunciaret. Item beatus Ambrosius in epis. ad Ephe. cap. 4. Vnde inquit, neq; diaconi in Ecclesia prædicant, id est, non docent Euangelium. Rectè hoc: illud verò, quod quibusdam placet, mihi non probatur, vt cresceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum fuisse euangelizare & baptizare, & scripturas in Ecclesia explanare: cùm Apostolus
a 1 Cor. 14. Paulus a iam tunc inter ipsa initia planè præciperet, honestè omnia & secundùm ordinem fieri in Ecclesia. Scilicet nihil excepit, cùm omnia dixit, neq; docendi, neq; baptizandi ministerium. Quod enim A-
b Actor. 9. nanias b vnus ex fratribus, vt ait Clemens, Paulum
c Actor. 8. baptizauit, & Philippus c diaconus Eunuchum, quæ duo exempla illos fortasse fefellerūt, respondet Cle-
mens

mens libro 3.cōſt.Apoſt.à Chriſto pōtifice & Deo, cum quo nemo comparari poſſit,electos fuiſſe illos, alterum quidem ad baptizandum Paulum, alterum verò ad Eunuchum. Igitur Lutherani & Caluiniani vt non habent ſacerdotes,id eſt, Epiſcopos & Presbyteros ad miniſterium verbi & ſacramentorum per ſacram ordinationem ſecundùm verbum Dei hierarchicè vocatos, ita neq; diaconos magni ſacramenti habent. Ita fit, vt Eccleſiaſticam hierarchiam tollant,quæ ex Epiſcopis, Presbyteris,ac Diaconis conſtat. Ac rurſus fit, vt qui Eccleſiaſticam hierarchiam tollant,Ieſum quoq;,ad quem omnis Eccleſiaſtica hierarchia tanquam ad finem refertur,tollant: nec ad eum referri poſſint, qui negant gradus & ordines,per quos ſecundùm inſtitutionem domini referantur.

Explicatio loci Pauli ad Timot. Nemini citò manus imponas. Et quomodo vocatio miniſtrorum Lutheranorum cum hoc verbo Dei pugnet. Quid ſit, Citò manus imponere. Quid item communicare peccatis alienis propter malas ordinationes.

CAPVT XXV.

HActenus de diaconis, & de eorum ordinatione, & officio, ac numero. Sequitur, vt veniamus ad extremum locum ſcripturæ ſanctæ noui teſtamenti de hierarchicis ordinationibus,qui eſt in epiſt.Pauli ad Timoth. priore. * Manus inquit, citò nemini impoſueris: neq; communicaueris peccatis alienis. De Presbyteris & diaconis in primis loquitur, hos enim ordinat Epiſcopus propriè per impoſitionem manuū ſuarum. De quorum moribus prius inquirere debet idem Epiſcopus: deinde inuocare gratiam Spiritus ſancti, hoc eſt enim,nō citò *1.Tim.5.*

manus

manus imponere,vt Theodoretus in commentarijs epistolæ huius interpretatus est. Quòd si ad populum aut ad magistratum pertineat, vocare ad ministerium verbi & sacramentorum, vt hæretici volũt, consequens sit,vt ad eos quoque pertineat, ministrorum vitam et mores examinare: eisque potius conueniat,quod Paulus Timotheo scripsit, * nemini citò manus imponere. At nõ multitudini, aut magistratui,sed Episcopo iubet Apostolus, nemini citò manus imponere. Populus ergo aut magistratus, cùm ad ministerium verbi & sacramẽtorum vocat, contra verbum Apostoli,id est,contra verbum Dei, id quod Episcopi est,sibi sacrilegè vsurpat. Quid est citò manus imponere, inquit Leo magnus in epist. 85.nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis,ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ,sacerdotalem honorem tribuere non probatis? In eandem sentẽtiam interpretatus est Athanasius Constant. Patriarcha, in epist. ad Episcopos proficiscentes ad diœceses suas, Ne ante iustam inquit,ætatem,ne ἀπολύτως, id est,ne sine titulo ecclesiastici beneficij, ne extra fines diœceseos, ne sine testimonio. Et Innoc. primus epis. 4. cap. 5. Ne citò inquit,quilibet lector,citò acolythus,citò Diaconus, citò sacerdos fiat:quia in minoribus si diu perdurant, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur: vt ad sacerdotium emensis stipendiorum meritis veniant. Illud verò quod sequitur in Apostolo,*Neque communicaueris peccatis alienis,interpretans beatus Chrysostomus in libris de sacerdotio,Quia inquit,quæ ille peccarit, quem elegit ignorans,aut in gratiam alicuius,aut vtrumque viciose,

*1.Tim. 5.

*1.Tim. 5.

tiose, luet idem, qui elegit. Et Hieronymus in commentarijs Isaiæ cap. 58. Vt periculum inquit, ordinationis demonstraret, iunxit tormenta peccantium. Sicut ergo in ordinationibus malorum, particeps est peccatorum, qui eos constituit & ordinat, sic inquit, in ordinatione sanctorum particeps est iustitiæ, qui bonos eligit. Hæc itaque vocauit aliena peccata, à quibus parci sibi Dauid *propheta *Psal. 18.
precabatur, quæ quis scilicet nostro exemplo, aut iussu, aut nostra denique culpa vlla peccat. Si igitur populi, aut magistratus, esset ad ministerium Ecclesiæ vocare, profectò non Episcopo, sed populis, aut magistratibus periculum malæ ordinationis Apostolus proponeret. Nunc verò cùm Episcopo proponat, & non populo, aut magistratui, consequens est, non populi, aut magistratus, sed Episcopi esse, eos vocare. Simile est, quod Dominus in vetere testamento minatus est Num. cap. 18. Aaroni, & filijs eius, scilicet portaturos esse peccata sanctuarij, & peccata sacerdotij: id est, futuros esse participes eorum peccatorum, quæ culpa Pontificis, aut sacerdotum in sanctuario, aut in officio sacerdotali committerentur. Sed prosequamur, quæ restant.

De ordinatione hypodiaconorum & cæterorum ministrorum absq; manuum impositione. Et de homonymia impositionis manuum, & unde nata sit. Et de antiquitate & traditione Apostolica minorum ordinum ex Clemente Romano, Ignatio, Dionysio. Et quomodo intelligendum sit, esse unum sacramentum Ordinis, & esse septem ordines sacros, ne sit repugnantia, sicut dixit esse Caluinus. Item quale sit, quod S. Thomas tradit explicans, quomodo sit unum sacramentum Ordinis. Et quomodo aliud sacramentum sit in ordinatione Episcopi, & aliud in ordinatione Presbyteri. Et quomodo tota plenitudo sacramenti Ordinis sit in Episcopatu secundum Dionysium, & non in sacerdotio.

CPVT XXVI.

HActenus de hierarchicis ordinationibus triplicis ordinis ministrorum, quæ iuxta verbum Dei per impositionem manuum in Ecclesia fiunt. Sequitur, vt pauca de reliquis ministris ecclesiasticis dicamus, qui propriè manuum impositionem nō habent. Nec enim hypodiaconus manuum impositionem accipit: ac multò etiam minus reliqui infra hypodiaconum ordines. Sicut est in 5. canone concilij Carthagi. 4. Subdiaconus inquit, cū ordinatur, quia manuum impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam: & quæ sequuntur. Neq; verò pugnat, ne quis erret, cum hoc canone Apostolica constitutiò, quæ in libro 8. Clementis Romani cap. 21. posita est. Sic enim ait Clemens in persona Apostolorum, Cùm hypodiaconum ordinaueris Episcope, impones ei manus, & dices, Domine Deus, & quæ sequuntur. Est enim multiplex impositio manus: si quidem imponitur manus ei, qui baptizatur: item ei, qui confirmatur: item pœnitenti:

nitenti: tum etiam in ordinatione diaconissæ, hypodiaconi & lectoris. Significat enim impositio manus protectionem Dei, quæ precando petitur ei, qui ordinatur, qui absoluitur, qui baptizatur, qui confirmatur, qui omnes dicuntur ἀναλόγως χειροθετεῖσθαι, id est, accipere manus impositionem, vt cuique eorum conuenit. Vnde sicut perspici potest in 8. libro Clementis, in oratione quę ad ordinationem diaconissę, & hypodiaconi ac lectoris adhibetur, precatur Episcopus dari eis Spiritum sanctum, cuius protectionem impositio manus symbolicè significat, vt beatus Dionysius Areop. docuit. Cùm igitur Apostolica diataxis iubet, vt manus imponantur hypodiacono, hoc iubet, vt ordinetur hypodiaconus cum manuum impositione, non quæ consecrationem perficiat, tanquam in Leuitæ ordinatione, sed quæ conueniat in ordinationem hypodiaconi ministrantis Leuitæ. Similiter cùm ait quarta synodus Carthag. non accipere hypodiaconum manuum impositionem, illam impositionem manuum negat, quæ diacono conuenit, quæ eum in consecratione perficit, vt beatus Hieronymus in epist. ad Rusticum Narbo. scripsit. Perficit inquam, in consecratione eorum, qui sacerdoti ministrant. Esse autem multiplicem manuum impositionem etiam in ordinationibus ministrorum infra diaconos, cùm ex aliis locis intelligi potest, tum ex 14. canone Concilij 2. Niceni. Sic enim ait, Quia scimus nonnullos sine manuum impositione ab infantia tonsuram Clerici accipere, & sic legere in conuentu ecclesiastico super pulpitum, iubemus, ne hoc amplius fiat. Manuum impositionem sanxit hæc synodus in ordinatione lecto-

ris: vt iam omnis ordinatio ac benedictio cuiuscunque ecclesiastici ministri, quæ ab Episcopo fit, per impositionem manuum fieri dicatur. Quæ quidem homonymia ac communitas nominis χειροτονίας & χειροθεσίας distinctionem ipsorum ordinum non tollit: nec eos in vnum confundit. Videtur autem hęc consuetudo ac ratio loquendi ex Euangelio Marci sumpta, cùm ait,* Et imponens manus super illos, benedixit eis, quo in loco impositionem manuum vocauit ipsam benedictionem: impositione enim manuum pueris illis benedixit.

* Mar. 10.

Hos ergo minores ordines non esse nouitium inuentum, vt Caluinus calumniatur, neque primitiuæ Ecclesiæ, vt idem fingit, incognitos, testis est Clemens Roma. Apostolorum discipulus, qui in persona eorum libro 3. cap. 11. ait, Sed neque reliquis Clericis baptizare permittimus, vt lectoribus, aut cantoribus, aut ianitoribus, aut ministris. Diaconos & hypodiaconos dicit, de quorum ordinationibus idem Clemens diataxes, siue constitutiones libro 8. descripsit. Eat nunc Caluinus, & vocet impiè nouitium inuentũ, blasphemans* quod ignorat, qui est mos hæreticorum. Meminit quoque beatus Ignatius, idemque Apostolorum quoque auditor, in epist. ad Antioch. de hypodiaconis, lectoribus, cantoribus, ianitoribus, exorcistis, item de operarijs, quos beatus Hieronymus in epistola ad Rusticum fossarios vocat, eos scilicet, qui curam habent aperiendi sepulchra, siue tumulos ad humandum mortuos; quos non necesse est Clericos esse, sed satis est esse ex numero eorum qui sunt in Canone, hoc est, in catalogo, siue matricula quam vocant. Dionysius

* Iude. 1.

sius quoque Areop. varios esse ac multiplices ministros sacros in Ecclesia præter sacerdotes, qui sunt Episcopi & Presbyteri, & præter diaconos, docuit in Ecclesiastica hierarchia cap. 3. de communione. Sic enim ait: Ministrorum alij stāt ad fores clausas templi (sic enim illa tempora postulabant) alij aliud, quisque quod sui ordinis est, operantur. Primarij verò ministri (diaconos dicit) sacerdotibus ministrant ad altare, & quæ sequuntur. Eat igitur Caluinus iterum cum impietate & ignorantia sua, & dicat, incognitos fuisse Ecclesiæ primitiuæ minores ordines. Dicat ipse, si potest, qui illi tunc erant, de quibus Dionysius præter sacerdotes, & diaconos, ac ianitores, quos nominatim describit, Alij inquit, aliud, quisque quod sui ordinis est, in templo operantur: ij scilicet erant, quos Clemens in persona Apostolorum hypodiaconos, lectores & cantores, atque exorcistas nominat, quos Ignatius item numerat. Sunt igitur reliqui minores ordines infra diaconos ab Apostolis traditi, & non à successoribus eorū, id est, ab Ecclesia, vt quidā falsò opinati sunt. Neque quod Dionys. Areop. dixit, Ministrorum alij stant ad fores, alij aliud, quisque quod sui ordinis est, in templo operantur, de Diaconis dixit, vt quidam interpretati sunt, quasi in primitiua Ecclesia, vt ipsi aiunt, propter paucitatem ministrorum, omnia inferiora ministeria diaconibus committerentur. Non enim dixit Dionysius, diaconorum alij stant ad fores, sed λειτουργῶν, quod est commune nomen ministrorum omnium, etiam infimi gradus.

Hic quoque ridet Caluinus, ac repugnātiam nobis obijcit, quòd vnum sacramentū Ordinis ponimus,

& rursus septem ordines sacros esse dicimus. Quod vt ridere & ignorare desinat, sic intelligendum est, vt vnum dicatur ab vno summo inter cæteros ordine, qui est sacerdotij hierarchici, ad quem ascenditur per incrementa aliorum ordinum inferiorum, qui sacri sunt secundùm analogiam, id est, magis sacer qui maior est: hoc est, in quo maior gratia, maior inquam potestatis spiritualis participatio, donec ascendatur ad ordinem hierarchę, hoc est, Episcopi, in quo tanquam in summo omnis potestas, quæ multiplex est, inferiorũ ordinũ continetur, sicut diuinus Dionysius in Eccle. hierar. cap. 5. tradit, cùm ait: Potestas autem hierarchici ordinis in omnibus ordinibus sacris, & in tota eorum ratione ac munere versatur. Hoc enim significat verbum ὁλότητος, quo Dionysius vtitur, ac per omnes sacros ordines mysteria sui hierarchici ordinis operatur. Ipsi autem ordini hierarchico separatim, præter reliquos ordines, lex diuina tribuit, vt per se ipsum diuiniora ac sacratiora operaretur. Hæc autem sunt, vt idem ait, ordinationes sacrorum ministrorum: item consecratio chrismatis, quo Presbyter baptizat ἀγρογυῶς, in aqua scilicet illa sacra, quæ solenni ritu in Ecclesia secũdùm Apostolicã traditionem sabbato sancto consecratur, cui admixtum est Chrisma: item consecratio aræ, sine qua non conficiet Presbyter sacræ Eucharistiæ mysteria. Hæc enim sunt duo diuinissima sacramenta, quæ Dionysius in eo loco dicit, in quibus eget Presbyter opera Episcopi. Episcopus verò, qui potestatis diuinæ imaginem repræsentat, opera Presbyteri non eget. Ac diuus quidem Thomas docens, quemadmodum sit vnum sacramen-

tum

tum ordinis, vt ex eius sententia scriptum est in addi. 3.p.q. 37.ar.1.ad.2. Distinctio inquit, ordnis est totius potestalis, cuius est natura hæc, quòd totũ secundùm completã rationẽ est in vno: in alijs autẽ est aliqua participatio ipsius. Et ita hæc tota plenitudo sacramenti huius est in vno ordine, scilicet sacerdotio, sed in alijs est quædam participatio ordinis. Hęc sanctus Thomas. Quæ prorsus cũ ijs, quæ Dionysius tradit, conuenirent, si hãc plenitudinem sacramẽti, quam dicit, non tã sacerdotio, quàm principatui sacerdotij, id est, ordini non Presbyteri, sed Episcopi, tribuisset, vt Dionysius planè tribuit. Quia inquit, neq; Presbyter esse potest, nisi ab Episcopo ordinetur: neque iam ordinatus sacra mysteria operatur sine ara, quæ ab Episcopo consecratur. Clemens quoq; Romanus in persona Apostolorũ libro viij, Episcopũ à Presbytero distinguit, vt Presbyterum à diacono. Ergo secundùm Apostolicam traditionẽ, sicut alius est ordo Presbyteri ab ordine diaconi, sic alius item est ordo Episcopi ab ordine Presbyteri. Tradit præterea idem Clemens esse Episcopũ Presbyterum ac diaconũ, quod in vetere testamento Aaron, filij eius, & Leuitæ. Igitur vt in hierarchia Mosaica aliud typicum sacramentum erat in Pontificis consecratione, aliud in sacerdotis, aliud in Leuitæ: sic in nouo Testamento aliud sacramentum est in ordinatione Episcopi, aliud in ordinatione Presbyteri, aliud in ordinatione diaconi. Rursus quia Episcopus aliquid potest circa actum excellentissimum consecrationis sanctæ Eucharistiæ, quæ est propria Presbyteri, quod alioqui nõ potest ipse Presbyter, vt cõsecrare aram, quam adhibet Presbyter, vt idem Diony-

Dionysius tradit, ad consecrandam sanctam Eucharistiam, idcirco alius est ordo Episcopi, idēq; à Presbyteri ordine separatus. Deniq; cùm potestas ordinandi, consecrandi aram & chrisma non sit potestas iurisdictionis, alioqui auferri posit, vt ait Scotus, per superiorem, consequens est, vt sit potestas ordinis. Est igitur alius ordo Episcopi, ordo inquā, summus: ex quo summo cæterorum ordinum potestates continēte, vnum primariū sacramentum Ordinis existit, cùm alioqui sint septem alij ordines infra ipsum. Quod quidem Caluinus quia non credidit, ideò nō potuit intelligere, sicut neq; cætera, quæ de hierarchicis ordinatiōibus hactenus scripsimus: quas impiè tollūt hæretici, & pro eis suas, quas somniarunt, in synagogas suas, siue potius speluncas, introduxerunt, donec Dominus Iesus Episcopus animarum nostrarum, qui hierarchiam in Ecclesia catholica illius cælestis imaginem instituit, & per sanctos Apostolos suos nobis tradidit, eorum oculos mentis, excussis tenebris ignorantiæ ac perfidiæ, illuminet. Cui gloria & honor cum Patre & sancto Spiritu in sempiterna secula. Amen.

FINIS LIBRI PRIMI.

FRANCISCI TVRRIANI DE HIERARCHICIS ORDINATIONIBVS MINISTRORVM Ecclesiæ catholicæ, contra schismaticas vocationes ministrorum ac Superintendentium,

LIBER SECVNDVS.

De hierarchicis ordinationibus ex prophetico sermone. Et explicatio illius loci epistolæ Petri, Habemus firmiorem propheticum sermonem. Locus Isaiæ cap. 61. de sacerdotibus & ministris noui Testamẽti secundùm sensum historicũ, collato Euãgelio, explicatus à principio capitis, Spiritus Dñi sup me, et quæ sequuntur. Quæ Dñs in Euãgelio ex hoc loco Isaiæ recitauit, q̃ suo sacerdotio est Christus operatus.

CAPVT I.



Cripsimus superiore volumine de Hierarchicis ordinationibus ministrorum Ecclesię Catholicę ex verbo Dei, hoc est, ex scripturis noui testamenti & Apostolicis traditionibus: quibus si nondũ credunt Lutherani & Caluiniani, vt, sicut Propheta * monet, credendo intelligant, Iudæosque imitari malunt, habemus adhuc, sicut beatus Petrus de similibus ait, * firmiorem propheticum sermonem, cui bene facient attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec lucifer oriatur in cordibus eorum. Dixit hoc beatus Petrus, cùm gloriosam transfiguratione Christi, vtpote vnigeniti à Patre, probare

* Isai. 7.
* 2. Pet. 1.

*Matth. 3. probare vellet, ne fabulosa existimaretur; cùm venit vox de nube dicens, *Hic est filius meus dilectus. Sic enim de hoc mysterio Amos prophetarat, vt sanctus Theophanes Episcopus Niceæ in Symphonia veteris & noui testamenti obseruauit. Ecce inquit, * firmans tonitru, id est, creans nubem, ex cuius collisu erumpit tonitru: & creans spiritum, siue ventum, ex cuius verberatione cum intentione significandi, sicut Physici tradunt, existit vox: de qua subiungit, Et annuncians hominibus Christum suum.

*Amos 4.

Neque verò parua auctoritas veteris testamenti videri debet, de cuius firmitate loquens Vmbertus Cenomanensis, idemque Episcopus Siluæ candidæ, Legatus Leonis ix. ad Cōstātinopolitanos, auctor valde eruditus, in libro, quem pro defensione Azimi aduersus Græcos scripsit, Deleto, inquit, vetere testamento, nouum euanescet, & fabula omnino putabitur, neque poterit retineri, absque charectere suo: quoniam neque paries stabit absque fundamento, quod ipse Dominus suis factis & dictis supposuit, & Apostolis prædicatoribus suis inspirauit, vt narrationis suæ cursum firmaret anchora veteris testamenti. Cuius auctoritatem, inquit, primus magister Ecclesiæ profitetur firmiorem * esse illa voce, quam super Dominum transfiguratum * factum audiuit. Firmiorem verò intelligamus dixisse, non quidem simpliciter, sed ratione eorum, qui veteri tantū testamento credebant. Et paulò post, Idcirco, inquit, aiebat Dominus vndecim congregatis, * Oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & psalmis de me: & quia oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius

*2. Pet. 1. *Matth. 17. *Luc. 24.

eius pœnitentiam & remissionem: vt iam nouum testamentum, veteris sit consummatio: vetus verò fundamentum & robur noui. Euphranor Rhodiorum Episcopus, multa cōtra Seuerianos pro defensione veteris legis scripsit, quæ idē auctor Vmbertus in eo libro, quem dixi, recitauit. Demonstrat ibi Euphranor multis verbis, vetus testamētū, fundamentū esse noui. Vnde si auferimus, inquit, inferiora, superiora corruunt: si tamē destruenda erant, non alius poterat, nisi filius hoc facere. Videamus vtrum fecerit: Putatis'ne, inquit, quia veni * soluere legem? non veni soluere legē, sed adimplere. Hactenus Euphranor apud Vmbertum. Congruunt cum his, magisq́ ea declarant, quæ beatus Chrysostomus scripsit in homilia, quod vtiliter prophetiæ de Christo & gentibus, & ruina Iudæorū obscuræ essent. Sic.n. inscripsit: Gloria, inquit, legis est, posse docere eum, qui eā legit, quod in Christo euacuatur, ac sic quidē instruere, & ducere ad Christum: hoc verò est opus gratiæ (gratiam dicit noui testamenti) eos, qui accedunt ad intelligendum legem, acutiores facere, ita vt ex ipsa lege sumātur ἀφορμαὶ καὶ ἀφορμαὶ τῆς εἰς χριστὸν πίστεως, id est, principia & adiumenta fidei in Christum, quo nullum, inquit, maius argumentū esse potest cognationis & affinitatis legis cum gratia. Hactenus Chrysostomus. Nouum ergo testamentum eos, qui ei credunt, magis illuminat ad intelligendum vetus, magisq́ firmat in eius fide & intelligentia: eos verò, qui prius receperunt vetus, vt sunt Iudęi, magis eos firmat in nouo vetus. Vnde nobiliores illi Iudæi, qui Berœæ Paulo prædicante verbum Euangelij cū omni auiditate susceperunt, Erant, inquit, * quotidie

* Matth. 5
* Actor. 17.

ſcrutantes ſcripturas (legem & Prophetas dicit) ſi hæc ita ſe haberent: & multi quidem crediderunt ex eis. & quæ ſequuntur. Si cui tamen non placeat obſeruatio Theophanis de firmiore prophetico ſermone, quem beatus Petrus *dixit, vt pertineat ad prophetiam Amos, & de voce illa, quam in monte diſcipuli audierunt, conſideret, an magis videatur beatus Petrus retuliſſe ad Eliam & Moſem, quos Dominus *vt in ore duorum vel triũ ſtaret omne verbũ, transfigurationis ſuę glorioſæ teſtes adhibuit, ne falſa exiſtimaretur. Scilicet adhibuit Moſem, cuius facies olim apparuerat illuminata ex lumine Dei: Et operiebat, inquit, *faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos. Eliam verò adhibuit, quia in curru igneo aſcendit quaſi in cœlum, ſicut ait ſcriptura, *vt hac ratione teſtis eſſet eius gloriæ in monte oſtenſę, in qua Chriſtus in cœlũ aſcenſurus erat, cernentibus* diſcipulis, vt Elias cernente Eliſęo aſcendit quaſi in cœlum.

*2. Pet. 1. — *Mat. 17. — *Exod. 34. — *4. Reg. 2. — *Actor. 1.

Sed ſiue beatus Petrus *propheticum ſermonem ad prophetiam Amos, Theophane auctore, ſiue ad ea quæ de Moſis gloria & ſplendore, & de Elia in curru igneo & fulgenti ſcripta ſunt, retulerit, vt ille gloriam transfigurationis auctoritate ſermonis prophetici cõfirmauit: ſic nos hierarchicas ordinationes miniſtrorum Eccleſiæ catholicæ à Deo effici, vocationes verò eorum, quib. miniſterium verbi & ſacramentorum apud Lutheranos & Caluinianos cõmittitur, nõ poſſe à populo aut magiſtratu fieri, præter teſtimonia noui teſtamenti & Apoſtolicæ traditionis, quæ in priorem librũ contulimus, adhuc firmiſſimis teſtimonijs prophetici ſermonis, toto hoc volumine, adiuuante Deo, confirmabimus, non per

*2. Pet. 1.

alle-

allegorias,ac mysticos sensus ad astringendam veritatem infirmos, sed ῥητῶς καὶ ἀποδεικτικῶς,id est, per demonstratiuos,& vt ita dicam,literales sensus.

Isaias ergo prophetans cap.61.de Ecclesia noui Testamenti,& de ministris eius, nominat sacerdotes,& diaconos, siue ministros, & in extrema parte capitis proximi superioris,id est,60.nominatim meminerat de Episcopis. Sic enim septuaginta interpretes vocāt,quos latina editio Hieronymi præpositos. Ait igitur Propheta,Et vocabuntur in ea,scilicet Sion fortes iustitiæ,plantatio Domini ad glorificandum:& ædificabunt deserta à seculo: & ruinas antiquas erigent:& instaurabunt ciuitates desertas, & dissipatas in generationem.Deinde subiungit,Et stabunt alieni,& pascent pecora vestra: & filij peregrinorum agricolæ,& vinitores vestri erūt: vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri. Videamus iam an hæc Isaias prophetauerit de sacerdotibus ex baptismo, vocandis per consensum populi ad officium, vt de ministris suis profanis hæretici contra verbum Dei tradunt;an potius necesse sit secundùm sermonis prophetici consequētiam ῥητὴν καὶ ἀποδεικτικὴν, id est,literalem, vt ita dicam, & demonstratiuam prophetasse de sacerdotibus ex ordinatione,non à populo, aut magistratibus,sed à Deo ad ministerium vocandis.

Hoc autem vt demōstremus, necesse est prophetiam à capite repetere; id est, ab eo principio,quòd Dominus in Euāgelio interpretatus est, ne vlla iam de historico sensu prophetię huius proprio dubitatio relinquatur. Ait ergo Lucas Euangelista de Domino Iesu, *Et intrauit secundùm consuetudinem *Luc.4.

suam die sabbathi in synagogam, & surrexit legere: & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ: & vt reuol-
*Isai. 61. uit librum, inuenit locum, vbi scriptum erat, *Spiri-
» tus domini super me, propter quod vnxit me, euan-
» gelizare pauperibus misit me: sanare contritos cor-
» de: prædicare captiuis remissionem: & cæcis visum:
» dimittere confractos in remissionem: prædicare an-
» num Domini acceptum, & diem retributionis. Et
» subiungit Euangelista, Cœpit autem dicere ad illos,
» quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus ve-
» stris. Et omnes testimoniũ illi dabant. Ipse ergo Dominus, qui mentiri non potest, testatus est de se dictam esse hanc prophetiam, in qua continebatur de sacerdotio Christi æterno, & de ijs, quæ illo sacerdotio operatus est. Sed explicemus singula loci huius prophetici nõ quidem otiose, sed vtiliter, & ad propositum accommodate.

*Isai. 61. » Spiritus inquit, *domini super me: propter quod » vnxit me, & quæ sequuntur. Vnionem hypostaticã humanitatis cum diuinitate vocat vnctionem Spiritus sancti. Factus est enim homo, vt humanitatem suam, in qua plenitudo *diuinitatis habita- *Colos. 2. bat, semel pro peccatis nostris moriendo, Deo offerret, in æternum viuens ad interpellandum pro nobis. Hanc vnctionem, quæ humanitati & sacerdotio eius conueniebat, explicauit Apostolus, cùm *Heb. 5. ait, in Epis. ad Hebr.* Neq; quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad *Psal. 2. eum, * Filius meus es tu, ego hodie genui te. Deinde subiungit, Quemadmodum & in alio loco dicit,

est,* Tu es sacerdos in æternum secũdùm ordinem *Psal. 10.
Melchisedech. Explicat deinde Propheta caussam,
cur factus sit homo & sacerdos, subiungens opera &
officia huius ęterni sacerdotij. Propter q̃d inquit,* *Isai. 61.
vnxit me, euangelizare pauperibus misit me. Gentiles vocauit pauperes, vtpote promissionis spem
non habẽtes, sicut Apost. ait:* sine Deo in hoc mundo, *Ephes. 2.
quos fecit per prædicationem Euangelij diuites
in fide: vt ostenderet in seculis superuenientibus
abundantes diuitias gratiæ suæ. Sanare contritos "
corde. Contritos corde vocat eos, qui habent animum nimia tristitia & pœnitentia peccatorum fractum, ad quos quidem sanandos venit Dominus
tanquam bonus pastor. Vnde malis pastoribus exprobrat per Ezechielem* nõ alligasse quod confractum, siue contritum erat, id est, non curasse & recreasse eos hortatoria cõsolatione. *Ezech. 34.
Huc pertinet, quod
Paulus Corinthijs in illo incesto iam emendato, &
nimia cordis contritione laborante prouidere præcepit, inquiens,* Sufficit ei, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus: ita vt è contrario magis *2. Cor. 2.
donetis, & consolemini, ne fortè abundantiore tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est. Propter quod
obsecro, vt confirmetis in illum caritatem. Sic Paulus quod in illius corde confractum & contritũ erat
nimia tristitia, vinculo charitatis, ne desperaret, alligauit & recreauit. Sequitur,* Prædicare captiuis *Isai. 61.
remissionem: id est, venit ad docendum & corripiendum eos, qui captiui* tenebantur à laqueis diaboli ad ipsius voluntatem, vt cognita veritate resipiscerent ab eis: & cæcis visum, id est, vt ijs qui erant *2. Tim. 2.
in tenebris ignorantiæ, fulgeret illuminatio Euan-

gelij

gelij gloriæ Dei, qui de tenebris nos vocauit in admirabile* lumen suum. Dimittere confractos in remissionem, hoc est, pressos ac fractos onere peccatorum absoluere, vt cùm Magdalenæ multa peccata, quibus erat confracta, remisit, sicut testatus est Dominus inquiẽs, *Remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Huius confractionis ex peccatis figura atque imago erat illa mulier, quæ habebat spiritum* infirmitatis iam annis 18. quæ tanquam confracta, erat, inquit, inclinata, neque omninò poterat sursum respicere. Cui dixit dominus: Mulier dimissa es ab infirmitate tua. Sic dimittebat dominus in remissione cõfractos, & veluti onere peccatorũ incuruos & inclinatos. Sequitur* Prædicare annũ domini acceptum, & diẽ retributionis Paul. Apost. interpretatus est nobis annũ istum Domini acceptũ, quo scilicet reconciliauit nos sibi * Deus per Christum, & dedit nobis mysteriũ reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo (sicut per Isaiam dixit, Spiritus Domini super me) mundum reconcilians sibi, non reputans delicta ipsorum: & posuit in nobis verbum reconciliationis: & eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt efficeremur iustitia Dei in ipso. Deinde interpretans quod idem Isaias in alio loco in eandem sententiam prædixerat, inquiens, * Tempore accepto exaudiui te, subiungit, *Ecce tempus acceptabile: ecce dies salutis. Tempus igitur gratiæ vocat annum Domini acceptum: cùm Christus factus est hostia Deo patri accepta, & nos salui facti secundùm spẽ viuam * per fidem in hæreditatem incorruptibilem conseruatam in cœlis. Hunc ergo vocat diem retributionis, in

*1. Pet. 2.
*Luc. 7.
*Luc. 13.
*Isai. 61.
*2. Cor. 5.
*Isai. 49.
*2. Cor. 6.
*1. Pet. 1.

in quo facta est, inquit Cyrillus, remuneratio per promissionem in spe credentibus in eum. Lex enim Mosis temporalia, inquit, solùm promittebat: Euangelium verò regnum cœlorum.

Hactenus quæ ex hac Isaiæ prophetia dominus in Euangelio Lucæ* produxit & recitauit in synagoga: quibus recitatis, & à nobis breuiter explanatis, subiungit dominus: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Sequuntur deinceps reliqua, quæ cùm ad eandem prophetiam temporis gratiæ, necessaria consequentia sermonis prophetici pertineant, vt statim docebimus, consequens est, vt quod Dominus dixit de antecedentibus, Impleta » est hodie hæc scriptura in auribus vestris, similiter de tota reliqua prophetia huius ipsius temporis gratiæ, consequenter intelligendum sit, quæ iam non tantùm in auribus nostris, sed in oculis nostris impleta est.

*Luc. 4.

Continuatio interpretationis Prophetiæ de tempore gratiæ, ubi de ministris noui Testamenti secundùm literam continetur. Quomodo qui hanc partem loci prophetici de ministris Ecclesiæ, hierarchicè ordinatis, neget, Euangelium cum eo collatum necessariò neget. Quomodo qui sacerdotes & ministros Ecclesiæ à populo uel à magistratu uocari faciunt, alieni sint ab hac Isaiæ prophetia, & cum ea, & cum Euangelio pugnent.

CAPVT II.

PRosequens ergo Isaias opera Christi sacerdotis æterni, adiungit & hoc,* Cōsolari omnes lugentes Sion. Nam ad hoc quoque venit Christus. Fuerūt » enim, ait Cyrillus, apud Iudæos viri sancti, in lege

*Isai. 61.

 eruditi,

eruditi, & prædictionum propheticarum studiosi, qui cùm viderent negligi legem Mosis, ac mandata hominum seruari, & homines denique turpiter viuere, dolebant quidem, vt debebant, vehementer: expectabant tamen redemptionem Christi, qui impios per fidem iustificaret. Huiusmodi erat, * Simeon & Zacharias pater Ioannis Baptistæ, & ij, de quibus ait beatus Petrus, * De qua salute exquisierunt & scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas, quæ in Christo sunt, passiones & posteriores glorias. Allata est igitur lugentibus Sion consolatio per Christum. Eodem pertinet quod sequitur, * dari lugentibus Sion gloriam pro cinere, vnctionem lætitiæ lugentibus: habitum splendoris pro anxietate. Satis intelliguntur hæc veluti expressa in Zacharia * patre Ioannis, cuius deprecatio & solicitudo non tantùm erat pro filio suscipiendo, sed multò magis pro aduentu redemptoris; cuius solicitudini ac mœrori & luctui, successit incredibile gaudium & exultatio. Præterea quid gloriosius esse potuit Zachariæ quàm, habere filium, saluatoris mundi præcursorem? Expressa item sunt in Simeone, qui & ipse erat, vt ait Lucas, * expectans consolationem Israël. Lugebat ergo, lugentium enim est expectare consolationem: hic responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Attulit itaque ei Dominus ingentem lætitiam, & gaudium, ac gloriam. Quid enim iucun-

*Luc. 1. et 2.
*1. Pet. 1.
*Isai. 61.
*Luc. 1.
*Luc. 2.

iucundius, lætius ac gloriosius esse potuit, quàm videre in vlnis suis Christum domini? Vnde plenus gaudio & lætitia, in illud canticum prorupit, in Spiritu sancto inquiens, * Nunc dimittis seruum tuum domine, secundùm verbum tuum in pace: & quæ sequuntur. Huiusmodi quoque erat Anna prophetissa filia Phanuelis de tribu Aser; & hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, non discedebat à templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Quòd autem tota ista ieiuniorum & precationum solicitudo die ac nocte, esset pro aduentu redemptoris, satis significauit Lucas Euangelista subiungens, Et hæc ipsa hora superueniens, scilicet, cùm Simeon venit in templum, & accepit puerum IESVM in vlnas suas: confitebatur, inquit, domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israël. Ista igitur confessio laudis, & ista de Christi præsentia prædicatio, erat in Anna lugente & pœnitente, ac semper ieiunante, gloria pro cinere, * sicut ait propheta.

Ibid. *Isai. 61.*

Totam hanc prophetiam cum Euangelio conferimus, vt id quod ad eam partem prophetiæ de ecclesiastica hierarchia pertinet, tantum habeat auctoritatis, vt qui neget, Euangelium planè negare videatur. Accedamus ergo propius: Et vocabuntur, inquit, * fortes iusticiæ, plantatio domini in gloriam. Subijciam hîc Cyrilli grauissimi & eruditissimi interpretis explanationem non mysticam, neque allegoricam, sed historicam, licet translatis verbis vestitam, quod est in scriptura sancta

Isai. 61.

frequens. Istos igitur, ad quorum consolationem ac redemptionem venit Christus, æternus sacerdos missus à patre, dixit per Isaiam, vocandos esse fortes iustitiæ propter iustitiam Euangelicam, iustitia legis longè præstantiorem, sicut Dominus aiebat, *Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et vocabuntur plantatio domini in gloriam, *1. Cor. 3. quia sicut Apost. ait, *Dei agricultura sumus. Et rursus, Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit. Eius ergo est gloria. Excolit autem nos Deus, ait Cyrillus, per sanctos mystagogos, quibus credita est mysteriorum dispensatio ad tribuendum ea, & erudiendum in eis. Sequitur, *Isai. 61. *Et ædificabunt deserta: significat vocationem gentium, quæ prius erant desertæ, & sine Deo in hoc mundo, sicut Apost. ait *Ephe. 2. *postea verò factæ sunt templum Dei opera & ministerio architectorum spiritualium.

Hoc ipsum de vocatione gentium ad fidem, per quam regnat Christus regnum Dauid patris sui, *Amos 9. prophetauit quoque Amos, *sicut beatus Iacobus in *Actor. 15. Actis Apost. *interpretatus est, vt iam non liceat aliter interpretari, sicut ait beatus Hieronymus, quàm vt Iacobus frater domini interpretatus est: Viri fratres inquit, Simon narrauit, quemadmodum primùm Deus visitauit sumere ex gentibus populum nomini suo. Deinde subiungit, Et huic concordant *Amos 9. verba prophetarum, sicut scriptum est, *Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius: id est, regnum eius collapsum, reædificabo. Sibi tribuit, quod per ministros suos

ſuos facit, dicens per Iſaiam,* ædificabunt. Subiun- *Iſai. 61.
git deinde, Et venient alienigenæ, & paſcent pecora
tua. Apertè hîc, ait Cyrillus, translationem legis &
ſacerdotij futuram dicit, quãdo non iam ex vno genere Hebræorum, atq; adeò ex vna tribu Leuitica eligendi erãt paſtores, & magiſtri Eccleſiarum conſtituendi. Et filij peregrinorum agricolæ, ſiue aratores, & vinitores veſtri erunt. Peregrinos vocat gentiles, quos Apoſtolus vocat in epiſ. ad Epheſios *alienatos à conuerſatione Iſraël, hoſpites teſtamentorum, promiſsionis ſpem non habentes. Quia verò credentes frequẽter vocantur in ſcriptura terra electa, hortus & vinea, idcirco, inquit Cyrillus, vocat Propheta aratores & vinitores, id eſt, cultores vinearum eos, qui futuri erant ſacerdotes Domini & miniſtri: ſicut ſtatim ſubiũgit, inquiens, Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini, & miniſtri Dei noſtri. Sacerdotes verò ſunt Epiſcopi & Presbyteri. *Epheſ. 2.

Impleta eſt hodie hæc prophetia in auribus noſtris, immò & in oculis noſtris. Sicut enim audiuimus, *ita & vidimus in Eccleſia catholica Dei noſtri: in ea enim nõ à magiſtratibus, aut à populo vocantur ſacerdotes ac miniſtri noui Teſtamenti, ſed à Deo, ſicut ſcriptum eſt, *Nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron. Hi ergo ſacerdotes ſunt veri agricolæ, ſiue aratores ſpirituales, & veri vinitores. Horum enim eſt non tantùm terram cordis excolere, & ſemen verbi Dei ſeminare, ſed etiam panem viuum ex frumento agri in ſacra mẽſa altaris, & ſanguinem de genimine* vitis in torculari Eccleſiæ myſtica benedictione conficere ſub ſacerdote* magno, qui eſt Chriſtus, qui in prin- *Pſal. 47. *Heb. 5. *Mat. 26. *Heb. 10.

 cipio

*Luc. 4. cipio huius prophetiæ dixerat, * Spiritus Domini super me, scilicet vt vngeret me. Deinde vt redderet causam, cur vnctus esset in sacerdotem æternum, » subiungit, Propter quod vnxit me, illud scilicet est, quod euangelizare pauperibus misit me, sanare cõtritos corde, prædicare captiuis remissionem, cæcis visum, vocare annum domini acceptum, & diem retributionis. Hic enim fuit totus finis œconomiæ siue dispensationis Christi, scilicet pati pro nobis, vt reconciliaremur patri per passionem eius Deo acceptam, cuius virtute regenerati sumus in spem * viuam cœlestis hæreditatis. Hoc fuit vocare diem * retributionis: in his vera nostra consolatio consistit. Sic, inquam, venit consolari lugentes.

*1. Pet. 1.
*Isai. 61.

Qui igitur hæc fecit, idem iuxta eiusdem prophetiæ consequentiam, dedit Ecclesiæ suæ sacerdotes, qui essent in ea architecti, pastores, agricolæ & vinitores spirituales: vt iam necessaria consequentia hæc omnia copulata sint, ita vt qui in suis populis non agnoscant sacerdotes domini non à populo aut magistratibus vocatos, sed à Deo, à quibus regantur, ædificentur, excolantur, seminentur, sacramenta accipiant, hi neque Christum agnoscant summum *sacerdotem: adhuc sint fracti peccatis, cæci & captiui; nondum fulgeat illis illuminatio Euangelij, à laqueis diaboli capti teneantur: pœniteat eos temporis gratiæ: hi expungant annum domini acceptum: mortua sit eorum spes: nolint expectare diem retributionis: lætitia eorũ vertatur in luctum: nulla hos maneat consolatio. Tales sunt Lutherani & Caluiniani, qui sacerdotium ex ordinatione sacramentali, & ministerium sacrum ex vocatione Dei, & totam

*Hebr. 10.
*2. Tim. 2.

tam

tam denique Ecclesiasticam hierarchiam, ex Episcopis & Presbyteris ac ministris diuina ordinatione constitutam, negant: quos nuper sancta synodus Tridentina, scripturas sanctas & Apostolicas traditiones sequens, meritò anathematizauit. Sed quia quos hæc prophetia hoc loco sacerdotes domini dicit, hæretici ad sacerdotium inuisibile & improprium cuiusque Christiani commune, suo more referunt, doceamus nos, non posse id fieri, vt fingunt: immò potius ad sacerdotium visibile, verum & proprium ecclesiasticæ hierarchię referri necesse esse; idque prophetam diuinè docuisse. Prius tamen explicemus, quæ sit ratio sacerdotij communis, siue sacerdotij ex baptismo, vt intelligatur, ipsum sacerdotium commune ex baptismo, sine speciali sacerdotio ex ordinatione hierarchica nec existere, neque perfectè intelligi posse.

De ratione sacerdotij communis & improprij siue ex baptismo, ad demonstrandum, quòd sacerdotes noui Testamenti, de quibus Isaias prophetat, nõ possint intelligi sacerdotes ex baptismo, sed ex sacramẽto ordinatiõis hierarchicæ. Et quomodo nõ possit existere hoc sacerdotium cõmune, sine speciali sacerdotio ex ordinatione hierarchica. Item de sacerdotio communi in lege vetere, quod fuit vmbra sacerdotij communis in lege noua. Et de illius & huius sacerdotij sacrificio: Et locus beati Petri de hoc sacerdotio communi & hostia S. Eucharistiæ explicatus, secundùm necessariam consequentiam ipsius epistolæ & vim verborum. Et de versiculo: Si tamen gustatis, quoniam suauis est Dominus, quomodo ad Eucharistiam relatus sit à beato Petro, & clarius à beato Dionysio. Et quomodo Psalmus Dauid, vnde sumptus est, de sancta Eucharistia prophetet. Et quomodo inscriptio Psalmi hoc indicet.

CAPVT III.

IVbebat ergo lex omnibus Israëlitis, edere agnum in sacrificium & oblationem Deo, sicut scriptum
*Exod. 12. est in Exodo, *Loquimini, inquit, ad vniuersum cœ-
» tum filiorum Israel: & tollat vnusquisq; agnum per
» familias & domos suas, & quæ sequuntur. Et rursus
» in Num. cap. 9. de hoc ipso agno ab omnibus edendo in sacrificium Deo, sic scriptum est: Si quis autē
» & mundus est, & in itinere non fuit procul, & ta-
» men non fecit Phase, exterminabitur anima illa de
» populis suis, quia sacrificium domino non obtulit tempore suo. Sed ne sine interprete, & quidem grauissimo, & in lege vetere eruditissimo loquamur, sic Philo Alexandrinus libro 3. de vita Mosis scripsit: vertam latinè, In quo, inquit, festo (pascha dicit) nō quidem priuati & populares ad aram victimas adducunt, quas sacerdotes immolent: quin potius iussu legis vniuersa gens sacerdotio afficitur, dum vnusquisq; hostiam adducit, & suis immolat manibus. Et rursus in libro de decalogo, In quo, inquit, festo vnusquisq; eorum sacrificat non expectatis sacerdotibus, cùm lex ipsa vniuersæ nationi Iudæorum sacerdotium largiatur, vt vno totius anni die
*Heb. 10. per se quisq; sacrificet. Quòd si vmbrā habebat * lex futurorum bonorum, vt Apostolus ait, non ipsam imaginem rerum, profectò sicut in vetere testamen-
*Exod. 12. to *omnis Israëlita agnum typicum edēdo immolabat, & hac ratione erat quodam modo sacerdos, nō ex ordinatione leuiticæ vnctionis, sed ex dignitate Israëliticæ circūcisionis: sic in nouo Testamēto necesse est, vt vnusquisq; ex populo Christiano quodam sacerdotio communi præditus sit, & hostiam habeat ad offerēdum, quæ sit illius veteris agni prototypum

totypum tanquam vmbræ corpus, ac illius imaginis res. Hæc autem præter orationes, & alias hostias spirituales, præcipua est sancta Eucharistia, verus agnus, qui ab omnibus Christianis adultis secundùm Apostolicam traditionem in pascha sancto editur, ita vt qui tunc non edat, si possit, & non impediatur, non habeat vitam in se, sicut dominus * dixit: & sicut scriptum est * in vmbra de omni Israëlita non impedito, Qui mundus est, inquit, & in itinere non fuit procul, & non fecerit Phase, peribit de populo suo. * Ioan. 6. * Exod. 12.

Hoc quoque Isidorus Pelusiota in epistola ad Theodosium Episcopum, secutus Philonem, obseruauit: Vt in vetere, inquit, testamento non licebat sacrificare nisi solis sacerdotibus, tempore tamen Paschæ omnes quodammodo honorabantur, vnusquisque enim immolabat agnum: sic in nouo Testamento, quod successit, tributa est quibusdam potestas immolandi excellentissimam hostiam incruentam. Deinde subiungit, Vnusquisque tamē electus est sacerdos sui corporis, non quidem vt sine electione prosiliat ad vindicandum sibi potestatem & imperium in subditos, sed potius vt vitijs imperans, corpus suum templum faciat castitatis. Hactenus sanctus Isidorus, antiquus & grauis auctor, explanans illud Pauli, cùm ait, * Exhibete corpora vestra hostiam viuentem, & quæ sequuntur. Meminit hoc loco Isidorus de sacerdotio communi ex baptismo, & de proprij corporis hostia, quæ est præparatio ad hostiam incruentam digne offerendam & participandam, licet de hostia sanctæ Eucharistiæ tacuerit. De vtraque tamē meminit hic beatus Petrus, quia altera est ad alteram præparatio. De hoc igitur sacerdotio cō- * Rom. 12.

 muni

1.Pet. 2. muni omnium Christianorum, & de hostijs eius loquens ait,* Ad quē accedentes lapidem viuum tanquam lapides ædificamini, domus spiritualis, & sacerdotium sanctū, ad offerendum hostias spirituales acceptabiles Deo per IESVM Christum. De omnibus Christianis loquit, qui quidem cùm non possint fieri domus spiritualis, ac templū Dei, & sacerdotes sancti,
Rom. 12. nisi exhibendo corpora sua hostiam* viuentē, sanctā, Deo placentem, consequens est, vt quod secundo loco dixit, offerre scilicet, hostias spirituales acceptabiles Deo per IESVM Christum factos prius domos spirituales, sacerdotiū sanctū, non possit intelligi de hostijs solū corporū nostrorū, sed de hostia, quoque sanctæ Eucharistię, quę sacrificiū & sacrificia, hostia & hostiæ, propter corpus & sanguinē, dicitur. Ad quā hostiam non accedimus digne, nisi prius efficiamur domus spiritualis & sacerdotes sancti, id est, nisi pri-
Rom. 12. us exhibeamus corpora nostra *hostiam viuentem, & sic postea illam veram hostiam, incorruptibilem & in æternum viuentem, in sacrificium laudis manducemus. De his hostijs hunc locum interpretatur, ne sine auctore loquar, sanctus Fulgētius libro ij. ad Monymū; immò ipsa epistolæ consequentia à principio secundi capitis vsque ad hunc ipsum locum deducta, satis quod dico demonstrat. Neque enim bapti-
1.Pet. 2. zatos hortabatur beatus Petrus * ad deponendum malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & insidias, & omnes detractiones, vt his depositis, cupidè
Heb. 5. accederent ad lac, id est, ad elementa* exordij sermonum Dei, sicut Paulus ait. Immò verò Catechumenos hortamur accedere ad doctrinam imperfectorū tanquam ad lac, vt vitia deponant: non autem hortamur

depo-

deponere vitia, vt accedant ad lac inchoationis sermonum Dei: immò hortari solemus peccatores ad audiendum, vt audiendo verbum Dei peccata deponant. Non autem hortamur ad deponendum peccata, vt audiant: contra quã facere solemus in ijs, qui non audituri, sed docturi alios sunt, sicut scriptũ est, *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuũ? *Psal. 49.
Hortatur ergo baptizatos, quibus, vtpote natis ex spiritu, opus sit cibo, qui sit spiritus & vita, sicut Dominus hoc mysterium appellauit, inquiens, * Verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt: hortatur, inquam, ad hunc cibum, quẽ translatè vocat lac rationale, ac proinde viuum, qui instar lactis, quod habet præcipuam vim augẽdi infantes, facit crescere in salutem, quæ est vnio cum Christo, vt beatus Dionysius cap. 3. eccles. hier. interpretatus est. * Ioan. 6.

Esse autẽ hunc locũ beati Petri* de sancta Eucharistia intelligendũ, docet non solũ ipsa, vt dixi, sermonis consequentia, ac vis verborum, & natura rei, ex quib. verus sensus elicitur, sed etiã magnus Dionys. Areopagita, cùm in cap. de sancta cõmunione illum ipsum versiculũ, quo vsus est hoc loco beatus Petrus, ad sanctam Eucharistiam retulit. Si tamen gustatis, inquit, ꝙ suauis est dominus. Est autẽ sumptus versiculus ex Psa. 33. cuius titulus est, Cũ immutauit Dauid vultum suum corã Abimelech. Qui titulus satis admonet nos, compositum esse psalmum illum prophetice in laudem Christi habentis vultum immutatum in hoc sacramento, id est, velatum specie panis & vini, quæ ore gustantur, cuius figura fuit Dauid, cùm vultum immutaret corã Achis. Sed de hoc mysterio libro tertio copiosius. * 1. Pet. 2.

Redeo ad sacerdotium commune, quod coniunctum quoque est cum regno tum in vetere testamento, tum in nouo: ita vt sicut illud Exodi 9. Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta, implebatur in Israëlitis, qui secundùm legem viuentes, suis affectibus imperabant, & omnes agnum paschalem edebant, facti sic quodammodo reges & sacerdotes: ita in nouo testamento impleatur secundùm spiritum in Christianis omnibus, qui dominantes concupiscentijs carnis per spiritum, & facti participes mystici sacrificij, efficiuntur regale sacerdotium. Sicut idem beatus Petrus interpretatus est, cùm statim postquàm de sacerdotio inuisibili & improprio, communi omnium Christianorum, & de hostijs spiritualibus meminit, subiungit,
* 1. Pet. 2. * Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. Hactenus de sacerdotibus non ex ordinatione hierarchica, sed ex professione Christiana. Sequitur, vt doceamus iam, non posse hanc Isaiæ prophetiam de huiusmodi sacerdotibus intelligi.

Demonstratio, quòd sacerdotes noui Testamenti, de quibus prophetat hic Isaias, non possint intelligi sacerdotes ex baptismo, sed ex sacramento ordinationis hierarchicæ. Et quomodo sacerdotes isti sermonis prophetici ad officium & ad beneficium uocentur à Deo, & non à populo, aut magistratu. Et quid sit esse sacerdotes admirabiles in diuitijs iuxta prophetiam Isaiæ. Et quòd diuitiæ sint Ecclesiarum catholicarum secundùm prophetiam Isaiæ. Item de copiosis oblationibus ad alendos ministros Ecclesiæ catholicæ, prophetia Isaiæ ad Tyrios.

CPVT IIII.

Vide-

VIdete quid audiatis, monebat Dominus, discipulos obscura parabolarum edisserēs, & Paulus ad Timotheum scribens,* Intellige, inquit, quæ dico, dabit enim tibi dominus intellectum. Et nos igitur videamus, quid hîc audiamus, & intelligamus quæ dicuntur. Consideremus attentè consequentiam prophetici sermonis, naturam rerum, vim verborum, & cōsuetudinem idiomatum scripturæ sanctæ: videamus, inquam, an ea, quæ sacerdotibus istis prophetia tribuit, conueniant solùm sacerdotibus ex ordinatione: sic enim dabit nobis dominus intellectum, sicut Apostolus ait. Ergo vt cætera nunc omittam, quò breuitati consulam, postquam dixit propheticus sermo,* Venient alienigenæ, & pascent pecora tua: & filij peregrinorum agricolæ, & vinitores vestri erunt: subiungit apostrophe vtens in scripturis frequentissima, Vos autem sacerdotes domini vocabimini, vt intelligeremus, non se de pastoribus seculi & agricolis prophetare, sed de pastoribus & agricolis spiritualibus. Sed quia sacerdotes ex baptismo, sacerdotes quoque domini sunt, & à domino etiam ad eiusmodi sacerdotium vocati, hos autem tradunt hæretici ad officium pastorale, & ad ministerium verbi & sacramentorum legitimè à populis, aut à magistratibus vocari, videamus, an prophetico sermoni hoc repugnet, quod quidem ex eo, quod proximè sequitur, facilè intelligitur. Subiūgit enim, Et dicetur vobis, à domino scilicet, à quo, vt dixerat, sacerdotes domini vocabimini, quia nemo* sibi sumit honorem, nisi qui vocatur à Deo tanquā Aaron, dicetur, inquam, vobis,* Vires gentium comedetis. Vires vocat propheta, secundùm

*Mar. 4.
*2. Tim. 2.
*Isai. 61.
*Heb. 5.
*Isai. 61.

Idioma scripturæ substantiam, quam pro præmio & mercede, vnde viuant, accipiunt sacerdotes. Igitur sicut huiusmodi sacerdotes noui testamenti, de quibus hîc Isaias prophetat, à Deo vocantur ad sacerdotium, sic etiam ab eodem vocantur ad mercedem operis sacerdotalis ac pastoralis, vnde illis viuendum sit, vt dominus ordinauit. Dignus est * enim operarius mercede sua, vt sicut Apostolus ait, * qui altari seruit, de altari viuat. Quis enim, inquit, pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? aut quis plantat vineam, & de fructu eius nō edit? Ergo postquam prophetauit Isaias de opere & ministerio pastorum & agricolarum spiritualium, qui sunt sacerdotes & ministri Ecclesiæ, statim secundùm consequentiam naturalis necessitatis, & diuinæ ordinationis, prophetauit de cibo, quo dignus est operarius vt dominus * dixit, & ordinauit.

*Luc. 10.
*1. Cor. 9.
*Luc. 10.

Quòd si sacerdotes isti non à populo, sed à Deo, neq; secundùm ordinationē humanam & politicā, sed diuinam vocantur ad eas oblationes & Ecclesiastica patrimonia, quæ ex donis ac beneficijs piorū, quæ in scriptura Græcè vocantur λητούϊαι; vnde beneficia appellantur, illis constituta sunt, à Deo igitur, & non à populo siue communitate vocantur ad officium. A quo enim quis in Ecclesia vocatur ad beneficium, ab eo vocatur ad officiū, propter quod datur beneficium. Ac rursus à quo vocatur quis ad officium, ab eodem vocatur ad beneficium, siue illud certū sit, tum perpetuum, tū non perpetuū, quod pensionē appellare solemus: siue incertū & vagū ac liberum, quod ex voluntarijs oblationibus constat. Astipulatur huic verbo dei Synodus Romana Clemen-

mente III. Pontifice habita, quæ dari inuestituram Ecclesiasticã à laicis, id est, vocari clericos ab eis ad honorem Ecclesiastici beneficij, ad hæresim de inuestitura laicorum, quam sic nominari voluit pertinere iudicauit. Qui enim non possunt secundùm verbum Dei vocare ministros Ecclesiæ ad officium, neque vocare eos possunt secundùm verbũ Dei, ad beneficiũ. Igitur si sacerdotes ac ministri noui testamẽti, de quib. hîc prophetat Isaias, nõ vocantur à communitate aut magistratu ad officium ac ministerium sacerdotij, sed à Deo, consequẽs necessariò est, vt repugnet prophetico sermoni, dicere, sacerdotes huius prophetiæ esse sacerdotes ex baptismo. Hi enim laici sunt, qui vocari possunt à magistratu aut à populo ad officium suum, & ad mercedem officij. Restat igitur, vt sint sacerdotes isti, alterius gradus sacerdotes, id est, sacerdotes ex ordinatione sacra.

Sed explicemus singula huius loci rursus repetentes. Et dicetur, inquit, *vobis, vires gentium comedetis. Pro eodem dixit in alio loco, *lac gentium sugetis. Vires vocat, vt ait Cyrillus, honores, id est, mercedes, quas ministri Ecclesiarum & operarij sacrorum capiunt, vt inde viuant, contenti alimentis, * & quibus tegantur, sicut Apostolus ait. Idcirco ait, comedetis. Honorem quoque vocauit Apostolus mercedem Presbyteri, Qui benè, inquit, *præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt, id est, duplici mercede siue præmio. Vires, inquã, vocat, vt antea dixi, substantiã, secũdùm consuetudinẽ scripturæ. Sic enim sapiẽtia Sirach vocat, cũ ait, *Secundùm vires tuas porrigẽs da pauperi, id est, secũdùm substantiam tuam: Si multum tibi fuerit, sicut

*Isai. 61.
*Isai. 60.
*1. Tim. 5.
*1. Tim. 5.
*Eccles. 14.

præci-

*Tob.4. præcipiebat Tobias*filio suo, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Quia igitur ministri Ecclesiarum Christi, ex decimis & primitijs, atque alijs oblationibus, vt dominus constituit, & per sanctos Apostolos nobis
*Isai.61. tradidit, viuunt, sicut prædixit Isaias, *eligendos esse nō iam ex tribu leuitica, vt lex iubebat, sed etiam, vtpote translato sacerdotio & lege, eligendos ex gentibus: sic quoque prædixit, victuros esse ex oblationibus non eorum tantùm, qui vocati sunt ex Iudæis, sed vocati etiam ex gentibus: idcirco ait, vires gentium comedetis. Subiungit deinde Propheta,
*ibid. *Et in diuitijs earum, scilicet gentium, eritis admira-
» biles: hoc dicit, tum quia futuræ erant diuitiæ Ecclesiarum magnæ vsque ad admirationem: tum quia præterea, quæ opus sunt sacerdotibus ad vsus vitæ necessarios, & familiæ eorum atque hospitum, reliqua bona Ecclesiastica, sicut à sanctis Apostolis traditum & sancitum est, vt ex canone eorum 41. intelligi potest, pauperibus impartienda sunt: quo nihil potest esse laudabilius, neque admirabilius. Hoc significat esse sacerdotes admirabiles in diuitijs gentium: quas scilicet ipsæ gentes obtulerūt Deo ad alendos & honorandos ministros eius. Has diuitias prius vocauit idem Propheta vires gentium.

Quòd si in huiusmodi diuitijs, id est, bonis Ecclesiasticis vtendis & largiendis, non sunt ita laudabiles aliqui fortasse nostri temporis Episcopi, Presbyteri & reliqui ministri Ecclesiarum, immò esto, sint aliquando aliqui eorum contra præcepta Apostolorum Ecclesiastici patrimonij dilapidatores, & vt verbis vtar Apostolicarum constitutionum, ἡδύβιοι

χρυσοφάγοι

χρυσοφάγοι, εἰκαιοδάπανοι, & χρηματολαίλαπες, vt eis hæretici exprobrare ſolent, nō tam honeſtè & verecundè, quàm fortaſſe verè, nunquid iſtorum luxus ſanctitatem Apoſtolicæ doctrinæ, & prophetiæ veritatem euacuauit? An non legimus infinitos, qui ſic vixerunt, vt in diuitijs eccleſiaſticis admirabiles ac laudabiles exiſterent? qui habentes alimenta, * & *1 Tim. 6.* quibus tegerentur, his contenti, reliqua viduis, pupillis & omnibus egentibus benignè largirentur? Sed quid dico, legimus? quid inquam, veteres memoro? an non ſunt etiamnum in hac temporum triſtitia & confuſione permulti, quorum mores * ſunt *Heb. 13.* ſine auaritia? qui contenti præſentibus, cum ſumma laude ac gloria diuitias Eccleſiarum, tanquam boni & fideles diſpenſatores, egentibus, diſtribuunt? De his igitur diuitijs gentium Deo conſecrandis, & ad Eccleſiam Dei, quæ eſt domus orationis, ſicut idem Propheta * in eadem prophetia vocat, transferendis, *Iſai. 56.* loquitur proximo ſuperiore capite, id eſt, ſexageſimo: Leua, inquit, in circuitu oculos tuos, id eſt, circumſpice ô Eccleſia, inquit Cyrillus, cunctum orbē, » & vide congregatos filios tuos, id eſt, videbis venire » ad fidem tuam ex omni parte ac regione mundi: venient autem, quamuis longè fuerint, vt quidem fuerunt gentiles, qui erant alieni à teſtamento, ſicut idē Apoſtolus ait, * & ſine Deo in hoc mundo. De his *Ephes. 2.* enim ſubiungit inquiens, * Ecce venerunt omnes filij tui de longe, ſicut Apoſtolus in hanc prophetiam *Iſai. 60.* intuens, dixit, *Qui aliquando eratis longè, facti eſtis *Ephe. 2.* prope. Et filię tuæ in humeris portabuntur: hoc quo- » que conuenit ijs, qui ex gentibus ad fidē vocati ſunt, quibus nihil à principio graue & durum imperatum

*Actor. 15. est, sicut gentibus scripserunt Apostoli, * Visum est, inquiunt, Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato, & fornicatione. Hoc igitur erat, ferri in humeris vocatos ex gentibus, scilicet nihil illis imponi oneris prçter hæc, sicut idem Cyrillus interpre-

*Isai. 60. » tatur. Sequitur, * Tunc videbis, & timebis, & stupe-
» bis corde, cũ transferentur in te diuitiæ maris, et gen-
» tium, & populorum. Ad Austrum erat Iudęa: ad mare autem, id est, ad Occidẽtem & ad Septentrionem habitabant gentes, quę ad fidem Euangelij conuersę, amplissima dona attulerunt ad ecclesiam: in qua fiũt

*Ibid. sacrificia Deo accepta: idcirco subiungit, * Et offerẽ-
» tur acceptabilia super altare meum: & domus orati-
» onis meæ glorificabitur. Oblationes enim, quæ καρποφορίαι vocantur, gloria sunt ecclesiarum: glorificabitur inquam, cùm copia diuitiarum, tùm excellentia sacrificij mystici. Cuius gloria facit, vt iuxta pro-

*Agg. 2. phetiam Aggæi, * magna sit gloria istius domus nouissimæ plusquã primæ. Itaque à quo vocantur, vt sint sacerdotes & ministri Dei, ab eo vocantur ad possidendam terram, & diuitias oblationum. Hoc enim significat, quod Propheta subiungit, Sic secundò
» possidebunt terram, quod paulò pòst copiosius explanabimus.

Dicant ergo hæretici, vt hinc quoque Ecclesias catholicorum agnoscant, quas diuitias habeant eorum Ecclesiæ, siue potius speluncæ? Quid illis fœdius, obscurius, sordidius, egentius, incultius esse potest? immò quantis diuitijs Ecclesias nostras per vim spoliarunt, vt diabolus eorum opera & studio spiritum

tum Prophetæ mendacem facere niteretur, essentq́ nostræ Ecclesiæ, sicut speluncæ eorum sunt. Sed firmum *fundamentum Dei stat. Si enim verbum Dei requirunt, & Apostolorum traditionem contemnunt, habemus adhuc firmissimum * propheticũ sermonem, cuius testimonio diuitias ecclesiarum noui testamenti, & sacerdotum ac ministrorum eius, ad quas illi non à populo aut magistratu, sed à Deo vocantur, confirmamus, & contra calumniatores defendimus. Habemus inquam firmissimum * propheticum sermonem, cui malè facitis Lutherani & cæteri hæretici, non attendentes tanq̃ lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec vobis lucifer oriatur. Tunc autem orietur, cùm ad Ecclesiam, vnde exiuistis, redieritis, cui dictum est per Prophetam, * Gloria domini super te orta est, & quæ sequuntur vsque ad illud, Diuitiæ maris & gentium ad te transferentur. Quod quidem cùm de diuitijs spiritualibus non possit accipi, relinquitur, vt de terrenis accipiendum sit. Quas enim quæso, spirituales diuitias habebant gentes, antequam ad Ecclesiam transirent? cùm eas potius scriptura sancta pauperes vocare soleat, quòd essent, sicut Apostolus ait, * sine Christo, alienatæ à conuersatione Israël, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. De huiusmodi diuitijs gentium Deo consecrandis, ad alendos ministros Ecclesiæ, prophetauit Tyrijs idem Propheta, cùm ait, * Et erit » negotiatio eius sancta domino: non congregabi- » tur ipsis, sed habitantibus coram domino: omnis » negotiatio eius, vt comedant, & bibant, & im- » pleant in symbolum memoriale coram domino. »

*1. Tim. 2.
*2. Pet. 1.
*Ibid.
*Isai. 60.
*Ephe. 2.
*Isai. 23.

Prædixit Isaias restitutionem Tyri in pristinum statum post vastitatem 70. annorum: ac rursus veram instaurationem eius per conuersionem ad fidem. Itaq; vt beatus Cyrillus interpretatus est, postquam vocatis gentilibus ad gratiam per fidem, ipsa quoq; Tyrus cognouit saluatorem, ædificatum est apud Tyrios templum sanctum & ara Dei: & non iam ipsis tantùm offertur merces ex mercatura, Sed erit, inquit, merces εἰς ἀνάθημα, καὶ καρποφορίαν, id est, erit quoque donum Deo & oblatio. Item Eusebius in commentarijs eiusdem prophetæ Isaiæ, hunc locum interpretans, Illud, inquit, hîc significatur, quod dominus constituit, vt qui Euangelium annunciarent, ex
*1. Cor. 9. Euangelio * viuerent. Prædicit ergo, inquit, futuram esse sacerdotibus mercedem ad viuendum, ex negotiatione ac mercimonijs & quæstibus illorum. Hactenus Eusebius. Sed pergamus ad ea, quæ sequuntur, quò magis adhuc ex prophetico sermone intelligamus, vocari sacerdotes ad officium non à populo aut magistratu, sed à Deo, siquidem à Deo vocentur ad Ecclesias tanquam ad sortes suas, in quibus ministrent, & vnde illis patrimonium suppeditetur ad viuendum.

Quomodo Propheta diuisionem Ecclesiarum & diœceseon noui Testamenti, compararit cum diuisione terræ promißionis facta duodecim tribubus, ceu rem cũ figura, auctore etiam B. Cyrillo. Et quomodo eiusmodi diuisio non poßit pertinere ad sacerdotes ex baptismo, ex quibus sunt laici. Quomodo Apostoli, auctore Clemente Romano, constituerunt ius Episcopi, sicut Samuel ius Regis, & Moses ius sacerdotum. Et quomodo Ecclesiastica hierarchia diuino suffragio, iuxta prophetiam Isaiæ, Ecclesiarum sortes poßideat. Et quòd Deus per Pontificem, tanquam per alterum Iesu Naue, diœceses & Ecclesias distribuat, & as-

ſig net miniſtris Eccleſiæ hierarchicè ordinatis. Quomodo Lutherani contra naturam & ſcripturam, tum veterem, tum nouam, Eccleſias, catholicorum patrimonijs & iuribus ſpoliant. Quomodo Iſaias prophetans de præpoſitis Eccleſiarum noui Teſtamenti Epiſcopos vocarit, quos poſtea Apoſtoli propter auctoritatem prophetici ſermonis eodem nomine vocarunt. Et quomodo Lutherani malè ſibi conſcij, pro Epiſcopis Superintendentes nouo nomine vocarunt.

CAPVT V.

ERgo vt diuiſionem Eccleſiarum, atq; diœceſeon, & vocationem miniſtrorum ad eas, compararet Propheta cum diuiſione terræ promiſsionis facta ſortitò duodecim tribus à Ioſue ſecũdùm Dei voluntatem ac iuſſum, poſtquàm prædixit de copioſis oblationibus, quas gentes ad fidem venientes facturæ erant, & de earum vſu & diſpenſatione tam benigna & larga, vt omnibus eſſet admirationi, ſubiungit, *Sic ſecundò ſorte poſsidebunt terram. Sic inquam, id eſt, vocante Deo, à quo dictum eſt eis, " Sacerdotes Domini vocabimini, & vires gentium " comedetis. Itaque quibus dixit Propheta, ſacerdotes domini vocabimini, & miniſtri Dei noſtri, illud: Dicetur vobis, vires gentium comedetis: hos dicit, ſic ſecundò poſſeſſuros terram: id eſt, ſicut vocati ſunt ſacerdotes & miniſtri à Deo. Atque vt eis dictum eſt à Deo, Vires gentium comedetis, & eritis in diuitijs earum admirabiles: ſic inquam, id eſt, non ſuffragio populi, aut auctoritate magiſtratus, & ſecundùm legem humanam ſiue politicam, ſed ſuffragio Dei, & ſecundùm ordinationẽ diuinã vocantur ad poſſeſsionem Eccleſiarum & diœceſeon. Sed quod hoc loco ſortitionem illam diuinam à Ieſu Naue factã, doceat Propheta hac comparatiõe,

*Iſai. 61.

figuram fuisse diuisionis Ecclesiarum & diœceseon noui testamenti, ne sine auctore loquar, describam hic beati Cyrilli interpretationem huius loci. Olim, inquit, Iesus Naue regiones gentium, & Amorræorum, & Idumæorum diuisit Israëlitis: postquàm autem venit Christus, cuius ille fuit typus, non solùm Iudæam, sed cunctam terram suis ministris diuisit, quæ fuit secunda post illam diuisio. Distribuerunt enim sibi regiones, & ciuitates suffragio diuino illi ipsi diuini mystagogi, id est, mysteriorum dispensatores ac doctores. Hactenus Cyrillus. Hoc verò genus sorte possidendi, ad Israëliticæ possessionis similitudinem, non potest ad sacerdotes ex baptismo, id est, ad laicos pertinere: ij enim non sorte, id est, vocatione à Deo facta, sed aut natura, id est, iure hæreditario, aut humano suffragio terram possident.

Significat itaq; Propheta, fuisse illas sortes terræ Israëliticæ typum, & imaginem sortium, quæ Apostolis, & eorum successoribus diuinitus obtigerunt, quæ dictæ sunt cleri. Clerus enim sors est: vnde dicti sunt Clerici, quòd eorum sors, siue hæreditas, est dominus, id est, ea quæ sūt domino oblata. Quid enim aliud esse potest, quod hic ait Propheta, Sic secundò sorte possidebunt terram? an non " necesse est, fuisse prius alteram sortitionē terræ, ad quam secunda referatur? & vicissim illa prior ad hanc secundam? & quæ alia, rogo, esse potest, nisi illa quam Iesus Naue diuina sorte ac suffragio fecit? quæ, vt sæpius dicam, typus fuit, iuxta propheticum sermonem, sortitionis terræ spiritualis, id est, diuisionis Ecclesiarum per legem IESV Christi velut diuina

uina sorte ac suffragio factę, vnà cũ iure annexo carnaliũ, quæ seminanti spiritualia natura debẽtur: quę quidem sortes Ecclesiarum ac diœceseon, vsq; in hodiernum diem permanent, ac permanebunt vsq; ad consummationem seculi sub suis Episcopis & sacerdotibus. Vnde Paulus ad Titũ scribens,* Huius rei, inquit, causa reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas: & cõstituas per ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Et in Actis Apo.* Paulus & Barnabas Presbyteros, hoc est, Episcopos constituerũt per singulas ciuitates. De huiusmodi sortibus scriptum est in Psalmo, * Si dormiatis inter medios cleros, id est, si moriamini inter medias sortes. De Apostolis enim prophetabat, quibus dedit Dominus, verbum ad euangelizandum virtute multa, qui in ijs ipsis Ecclesijs, quas fundauerunt, quæ cuique eorum diuina sorte obtigit, pro testimonio fidei Christi occubuerunt: quod consuetudine scripturæ sanctæ propter spem viuam* resurrectionis, vocat propheta dormire. Qui ergo diuisit Episcopis, Presbyteris, & ministris terram spiritualem, quam exercent, quæ est Ecclesia, idem simul constituit illis secundùm ordinationem diuinam patrimonium, vnde viuerent, quæ sunt oblationes Deo factæ, quod est & dicitur eorum ius. Sicut Clemens Romanus in secundo libro de const. Apostolicis scripsit, constituisse Apostolos auctore Deo ius Episcopi, quo se & clericos aleret: vt ius, inquit, regis Samuel * sanxit, & ius sacerdotum Moses. Ecclesias ergo cum iuribus suis, quæ sunt regum & gentium ac populorum diuitiæ & oblationes, Ecclesiastica hierarchia iuxta propheticum

*1. Tit. 1.

*Act. 14.

*Psal. 67.

*1. Pet. 1.

*1. Reg. 8.

ſermonem diuino ſuffragio poſsidet: & diuiſiones atque aſsignationes Eccleſiarum, quæ Eccleſiaſticè fiunt, diuina auctoritate ratæ ſunt, quamdiu ſic viſum erit præſidi Eccleſiæ catholicæ, qui eſt Pontifex Romanus, per quem, tanquam per alterum Ieſum Naue, ad ipſas illas Eccleſias legitimè vocat Deus.

Rurſus idem propheta proximo ſuperiore capite, id eſt, ſexageſimo, prophetans in eandem ſententiam de Eccleſia item noui teſtamenti: Suges, inquit, „ lac gẽtium, & diuitias regum comedes: & ſcies, quia „ ego dominus ſaluãs te, & eruẽs te Deus Iacob. Quẽ locũ interpretans idem Cyrillus: Nonnullis, inquit, viſum eſt, quaſi prophetetur hic, quòd multi ex gentibus eruditi in ſcripturis ſanctis, futuri eſſent magiſtri ſynagogæ Iudæorum: videtur tamen, inquit, nõ eſſe nũc hic ſenſus prophetiæ, ſed potius quòd gentilium καρποφορίαις, id eſt, oblationibus & regum donis implenda eſſet Eccleſia; quod ipſe euentus demõſtrat. Hactenus Cyrillus. Diuinè igitur Propheta, & conſonè Euangelio, Suges, inquit, * lac gentium. Paſtores enim Eccleſiarum, & eorum miniſtri ſunt, qui quia paſcunt gregem, qui in eis eſt, de lacte eius manducant: ſicut Apoſtolus ait, * Quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat? Dominus enim ordinauit, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant. Quarè qui hierarchias Eccleſiarum catholicarum patrimonijs ſpoliant, quod Lutherani & Caluiniani faciũt, vbicunque poſſunt, propheticum & Apoſtolicum ſermonem contemnunt: naturam & ſcripturam tum veterem, tum nouam, ac Deum vtriuſque teſtamenti auctorem violant. Quod autem

*Iſai. 60.
*1. Cor. 9.

autem de Ecclesia, in cuius pastores ac ministros intuebatur, prophetaret Isaias, cùm dixit, Lac gentium „ suges, & diuitias regum comedes, vt omittam nunc „ antecedentia, magis adhuc declarant ea, quæ sequun„ tur: Et pro ære, * inquit, afferam tibi aurum: significat *Isai. 60. enim vmbram cultus spiritualis mutandam fuisse in veritatem, quod factum est in nouo testamento. Aes .n. est χρυσοφανὴς, quod suo fulgore aurum imitatur. Pro ferro autem afferam tibi argentum: significat» item vitam secundùm legem Mosis, quæ minus splendoris habebat instar ferri, quod est ἀργυροφανὴς, id est, imitatur splendorem argenti, mutandam fuisse in vitam euangelicam multò iustiorem & splendidiorem instar argenti: sicut scriptum est, * *Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarũ & phariseorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Subiungit deinde, * Et dabo principes tuos in pace, *Isai. 60. & Episcopos tuos in iustitia. Nihil iã clarius & aper„ tius dici potuit. Nomen nanque pastorũ ecclesiasticorum expressit, Siquidem Episcopi dicuntur ipsi prępositi ecclesiarum: quod nomẽ in nouo quoque testamento sancti Apostoli, propter propheticũ sermonem tanquam fundamentum noui, retinere voluerunt. Lutherani verò & reliqui sectarij tanquam malè sibi cõscij, sic domino prouidente, non audent doctores suos vocare Episcopos, sed Superintendentes. Ergo velut primis eiectis, inquit Cyrillus, alios principes & Episcopos introducit Christus pace ac iustitia præstantes: pace quidem, quia scilicet non distringunt gladium potestate ecclesiastica, sicut in vetere lege fiebat, quę sine misericordia sub duobus aut tribus testibus præuaricatorẽ occidebat. Lex verò gra-

tiæ,& qui secundùm eam Ecclesijs præsunt, mortem differunt in alterum seculum, sicut Clemens in 6. libro Apost. consti. ait. Iustitia verò præstantes, quia non ex metu, sed ex fide & dilectione operantur: sicut scriptum est,* Nisi superabundauerit iustitia vestra plusq̃ scribarum & pharisæorum, & quæ sequũtur. Tunc autem superabundat, cùm ex fide ac dilectione fit, sicut Apost. ait, in epist. ad Tim.* Superabundauit autem gratia, scilicet iustitiæ (de hac enim loquebatur) ex fide ac dilectione.

* Matth. 5.

* 1. Tim. 1.

Quomodo Isaias quod fecit hic interpretando diuisionem terræ promißionis typum & figuram fuisse diuisionis diœceseon & Ecclesiarum, idem similiter in alijs locis suæ prophetiæ fecit interpretando & transferendo ueteres figuras ad res noui Testamenti, de quo prophetat. Et de tribus exemplis huius rei, de plaga scilicet Madianitarum illata à Gedeone, & de plaga Aßyriorum illata ab Angelo, & de liberatione populi ex Aegypto. Quomodo Isaias interpretatus sit in spiritu uocationes & electiones ministrorum noui Testamenti ad sortes Ecclesiasticarum diœceseon, non auctoritate humana, sed diuina ordinationis fieri.

CPVT VI.

SED quia diximus paulò antè, diuisionem terræ promissionis figuram fuisse diuisionis Ecclesiarũ cum iuribus earum, quæ quidem iura ad victum ecclesiasticæ hierarchiæ, id est, Episcoporum, Presbyterorum & ministrorum spectant: & hanc diuisionẽ vocasse prophetã tanq̃ veteris figuræ interpretem, secundam, vt ad illam priorem referretur: ne cui minus fortassis in scripturis propheticis exercitato nóuum videatur, quod propheta figuras veteris testamenti

menti interpretetur de nouo prophetans, cũ hoc ad magistros potius noui testamenti pertinere videatur: docebo aliis exemplis non hoc nouum esse, quò firmior sit hic sermo propheticus ad id, quod volumus, demonstrandum. Prophetans ergo idem Isaias *de vocatione discipulorum & gentiũ, vt dominus *Isai. 9.
in Euangelio Matthæi interpretatus est, cùm ait, *Et *Matth. 4.
habitauit in Capharnaũ maritima, in finibus Zabulon & Neptalim, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, Terra Zabulon & Neptalim, via maris trans Iordanem Galilææ gentiũ, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedẽtibus in vmbra mortis lux orta est eis. Prophetans, inquam, de vocatione gentium post illa, quæ dominus ex eodem Isaia produxit in testimonium, statim subiungit Isaias, *Multiplicasti gentem, quod domi- *Isai. 9.
nus in eodem loco Euangelii interpretatus est, subiungens paulò pòst, *Et secutæ sunt eum turbæ mul- *Matth. 4.
tæ de Galilæa, & Decapoli, & de Hierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem. Videns autem IESVS* *Matth. 5.
turbas, ascendit in montem, & docebat eos. Ac subiungit idem Isaias* prosequẽs eandem prophetiam, *Isai. 9.
Magnificasti lætitiam: sic .n. est apud 70. lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe. Hanc quoque lætitiam idẽ dominus declarauit, cũ post illam doctrinam in monte coram turbis & multitudine traditam statim subiungit, *Et factum est, cùm consummasset *Matth. 7.
IESVS verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Hæc autem admiratio non erat sine ingenti lætitia, vt fieri solet. Ac rursus intuens dominus in illud Isaiæ, *Lætabuntur sicut qui lætantur in mes- *Isai. 9.
se, sicut exultant victores capta præda, cùm diuidunt spolia; explicauit, quæ esset illa messis, & quæ

præda, & qui illi, Qui lætabuntur, inquit, sicut in messe, & sicut exultant victores capta præda, cùm di-
* Matth. 9. uidunt spolia. Sic enim ait paulò pòst, * Videns autẽ turbas, misertus est eis, quia erant vexati & iacentes, sicut oues non habentes pastorem. Deinde subiungit, Tunc dicit discipulis suis, Messis quidem multa, operarij autem pauci, & quæ sequuntur. Discipuli ergo erant messores ac pastores: & turbæ veluti alligandę ad veritatem vinculo charitatis in manipulos messis, & inferendæ cum gaudio in horreum domini: & quasi oues eripiendæ ex faucibus luporum instar prędæ ablatæ hostibus, & congregandæ in ouili à pastoribus, qui erant Apostoli.

* Isai. 9. " Sequitur deinde in Isaia, * Iugum enim oneris e-
" ius, & virgam humeri eius, & sceptrũ exactoris eius
* Iudic. 7. " superasti * sicut in die Madiam. Quia sancti Apostoli duce Christo, solùm lampade & tuba euangelicæ prædicationis armati, deuictis hostibus iugum diaboli, id est, seruitutem peccati, & virgam imperij eius, quo ab eis obsequium exigebat, ἀσφάτως fregerunt, diuinè hanc eorum pugnam spiritualem, cum illa Israëlitarum duce Gedeone typo Christi, comparauit Propheta. In qua trecenti illi tenentes,
* Iud. 7. sicut scriptum est, * sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, incipientibus vigilijs noctis mediæ, Madianitas vicerunt: immisitque dominus gladium in omnibus castris: & mutua se cęde truncabant. Quod quidem in figura quoque contigit eius, quod est paulò pòst in eodem Euangelio
* Matth. 10. Matthæi, cùm ait, * Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrẽ suum, & filium aduersus matrem suam: & nurum aduer-

aduersus socrum suam, iuxta prophetiam Micheæ. *Mich. 7.
Cùm igitur Propheta post illa verba prophetiæ, quæ dominus de vocatione gentium in Euangelio Matthęi interpretatus est, prosequens consequentia necessaria prophetiam de eadem vocatione gentium, illam Apostolorum cum vocatis gentibus pugnam, cum illa trecentorum cum Madianitis pugna comparauit, apertè docuit, vt propheta & interpres legis, fuisse illam veterem pugnam huius nouæ figuram. Sic quoq; Eusebius, Hieronymus, Basilius, Cyrillus & Theodoretus intellexerũt, vt ex eorum commentarijs intelligi potest.

Rursus idem Isaias, * Si, inquit, fuerit numerus „ Israël, quasi arena maris, reliquiæ saluæ erunt: ver- „ bũ enim consummans & abbreuians in iustitia: quia „ verbum abbreuiatum dominator dominus exerci- „ tuum faciet in orbe terræ vniuerso. Significabat, vt ait beatus Basilius, non esse in multitudine salutem, sed in reliquijs *secundùm electionem gratiæ. Nunc vero quis modus liberationis, exponit, Verbum, inquit, abbreuians in iustitia, id est, qui legem & pro- „ phetas breuitate Euangelij complexus, fecerit quod Christus docuit, hic saluus erit, Diliges enim, * dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum: in his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent. Consummans ergo verbum, id est, in rem & actionem redigens, & abbreuians eum, hoc est, prolixitatem eius duobus breuissimis præceptis comprehendẽs, hic, inquit, erit ex reliquijs Israël. Omnia enim, inquit, * quæcunq; vultis, vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis: hæc enim est lex & prophetæ. Hoc est ergo verbũ naturali in formatione men-

*Isai. 10.
*Rom. 11.
* Matth. 22.
*Matth. 7.

tis cōsummatum, & breuiatum in iustitia. Cùm igitur hæc Isaias retulerit ad tempus vocationis gentium, sicut Paulus Apost. in epis. ad Rom. interpretatus est, *necesse est secundùm rationem consequentię eōdem pertinere quę statim consequuntur: quod satis idem propheta verbis suis declarat, subiungens, * Propter hoc hæc dicit Dominus Sabbaoth, ne timeas populus meus habitator in Sion, ab Assyrijs, quia in virga percutiet te. Si propter gratiam scilicet vocationis gentium, de qua prophetabat, dicit, non esse timendum ab exercitu regis Assyriorum Senacherim, qui ingentem metum iniecit Ezechiæ; ita vt diceret, * Venerunt filij vsque ad partum: vires non habet parturiens. Et Ezechiel: In die illa, inquit, * erit commotio magna super terram Israël, consequens est, vt loquatur propheta de alio exercitu spirituali spiritualis Senacherim, cuius ille carnalis fuerit figura: vt quod ei accidit, in figura acciderit eius, quod secundo Senacherim euenerit, idque interprete Isaia, cùm subiungit, * Et suscitabit super eos Dominus Deus exercituum flagellum, secundùm plagam Madiam * in loco tribulationis. Solet enim scriptura (ait Cyrillus hunc locum interpretans) per ea quæ historicè facta sunt, aliquando mysteria declarare, & occultorum sensuum imagines formare. Deinde subiungit idem Cyrillus: Itaque dicimus historiam Senacherim spiritualiter explanantes, exercuisse diabolum tyrannidem in populum Dei, & contra Ecclesiam pugnasse, atque acies dæmonum instruxisse, & fortassis existimasse, posse sine vllo labore euertere Hierusalem. Et deiectus

*Rom. 9.
*Isai. 10.
*4. Reg. 19.
*Ezech. 38.
*Isai. 10.
*Iudic. 7.

ctus est ab imperio cum exercitu suo, & à sanctis Apostolis tanquam ab Angelis quibusdam exercitus eius spirituali prælio cæsus, ac mutua cæde trucidatus, filijs in parentes irruentibus, & parentibus in filios. Sicut Angelus Domini * percussit in castris Assyriorum centum octuaginta quinque milia Assyriorum: & ipsum regem filij percusserunt gladio. Et Ezechiel de illo quoque exercitu prophetans, Gladius, inquit, * vniuscuiusque in fratrem suum dirigetur. Illa igitur plaga Assyriorum, sicut illa Madianitarum, * figura quoque fuit, vt scriptura docuit, & euentus probat, plagæ spiritualis illatæ dæmonibus, & infidelibus dæmonum filijs. Sed vt in ore duorum * vel trium stet omne verbum, addamus tertium huius rei exemlum. Prophetans ergo Isaias adhuc de vocatione gentium, vt vel ex Paulo Apostolo intelligere licet, qui in Epist. ad Rom. * ad probandam vocationem gentium producit testimonium Isaiæ, cùm ait, * In „ die illa erit radix Iesse: & qui exurget regere gentes, „ in eum gentes sperabunt. Et rursus paulò pòst in ex- „ trema parte capitis prophetans de reliquijs Israël saluandis, Et erit, inquit, via residuo populo meo, „ qui relinquetur ab Assyrijs, sicut fuit Israël in die il- „ la, * qua ascendit de terra Aegypti: planè docet liberationem illam populi Israël ex seruitute Aegypti demersis Aegyptijs in mari rubro, ac columna nubis tenebricosa Aegyptios cæcante, columna verò ignis Hebræos illuminante, figuram fuisse liberationis populi Dei ex seruitute diaboli, deletis peccatis in baptismo, & lumine Euangelij illato.

* 4. Reg. 19.
* Ezech. 38.
* Iudic. 7.
* Matth. 18.
* Rom. 15.
* Isai. 11.
* Exod. 14.

Ad

Ad hunc igitur modum, vt scriptura explicare cõsueuit, cùm prædixit Isaias, * sacerdotes ac ministros noui testamenti vocatos à Deo ex gentibus, oblationibus & donarijs gentium locupletandos esse, ac sic quidem secundò possessuros terram, apertè docuit, priorem illam terræ Israëliticæ possessionem, quæ antea fuerat gentium, Israëliticis tribubus diuina sorte & electione sub duce Iosue distributam, figuram fuisse, vt sæpe diximus, diuisionis Ecclesiarum & bonorum Ecclesiasticorum diuino suffragio ministris Ecclesiasticæ hierarchiæ factæ. Qui, vt ait Clemens in 6. libro Apost. const. non iã ex vna tribu Leuitica, sicut in vetere testamento, sed ex quauis gente & natione, non inspectis maculis corporis, sed vita ac moribus dijudicatis, eliguntur. Neq; tamen, si aliquando non ita fiat, idcirco suffragium diuinæ ordinationis, ac verbi Dei auctoritas vitio nostro irrita erunt. Demonstratum ergò est, vt solitus sit Isaias veteres figuras interpretari, & ad res noui testamenti prophetice referre, sic quoq; interpretatum esse in spiritu, vocationes ac electiones ministrorum noui testamenti ad Ecclesiasticarum diœceseon sortes ac possesiones: ac proinde ad officium ac ministerium in eis exercendum, non auctoritate humanæ atque politicæ ordinationis, sed diuinæ fieri.

*Isai. 61.

Quomodo

Quomodo Lutherani nullum uerbum Dei habeant ad defendendas suorum ministrorum uocationes, nos uerò abundè habeamus uerbum Dei quod doceat, tum in nouo testamento, tum in uetere, à Deo uocari Ecclesiæ nostræ ministros. Et quomodo signum sensibile & sacramentale, quod ad hierarchicas ordinationes secundùm Apostolicam traditionem adhibetur, sit instar sortis, quæ super Mathiam, aut super singulas portiones terræ promißionis cecidit. Et quid illa sors à sorte in electione Saulis differret.

CAPVT VII.

EAnt ergo nũc Lutherani & Caluiniani, & vocẽt nos, vt solent, in ius verbi Dei: immò vocemus nos eos, & interrogemus, cuius verbi Dei iure vocationẽ sacrilegam suorum sacerdotũ laicorum, siue à populis, siue à magistratibus fiat, defendant? Nos. n. habemus verbũ Dei in epistola Pauli ad Hebræos,* Nemo, inquit, sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic enim Deus ad Mõsem locutus est,* Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filijs suis, vt sacerdotio fungantur mihi. Item in actis Apost.* Segregate inquit, mihi Paulũ & Barnabam in opus, in quod assumpsi eos. Ecce Paulum & Barnabam à Deo vocatos, non à communitate ad ministerium verbi & sacramentorum per impositionem manuum, quæ potestatem hierarchicam à Deo illis dari significabat, sicut diuinus Dionysius tradit. Mathias quoque à Deo vocatus & electus est dato diuinitus* signo, quo à Deo declararetur electus. Hoc enim significat sors illa, quæ cecidit in eum, vt idem Dionysius interpretatus est. Item sanctos Apostolos ad sacerdotium & potestatem pasto-

*Heb. 5.

*Exod. 28.

*Actor. 13.

*Actor 1.

ralem à Deo liquet vocatos esse, non à populo. Item
*Actor. 6. septem diaconi * à Deo sunt per Apostolos propriè
vocati atque electi, nō autem à populo. Neque enim di-
xerunt multitudini, Eligite aut constituite nobiscū,
sed, Considerate ex vobis viros septem boni testimo-
nij, quos constituamus &c. Vt iam cùm ait Lucas de
multitudine, Et elegerunt Stephanum, id fecisse mul-
titudinem intelligamus, quod eis fuerat ab Aposto-
lis iussum, ac non amplius: scilicet considerare viros
boni testimonij. Itaque quódnam genus electionis es-
set illud multitudinis, statim declarauit idem Lucas
subiungens paulò pòst: Hos statuerunt coram A-
postolis, vt scilicet ij ipsi Apostoli propriè eligerent,
ac per manus impositionem in diaconos ordinarēt,
quos multitudo elegisset, hoc est, separasset ac nomi-
nasset tanquam viros bono testimonio probatos, quos
Apostoli diaconos constituerent, & ad ministerium
sacrorum & mensarum assumerent: quæ est propriè
electio, quæ à Græcis dicitur in scripturis sanctis
χειροτονία, κατάστασις πρόσληψις: illa verò populi, quia
non admouet manus ad suffragia, dicatur potius ὀνο-
μασία, & ἴστασις, id est, præsentatio, δοκιμασία, id est,
probatio, aut αἴτησις, id est, postulatio. Præterea Ti-
motheus non est à magistratu, aut à populo voca-
tus ad sacerdotium, aut ad sacerdotij ministerium,
*2. Tim. 1. sed à Deo per Paulum, per impositionem * manus
eius: neque rursus vocatus à magistratibus aut à com-
munitate ad Episcopatum, sed à Deo per Episcopos
*1. Tim. 4. cum impositione * manuum eorum, sicut Dominus
*Tit. 1. per Apostolos constituit. Nec Titus * Presbyteros
per ciuitates Cretæ constituit per vocationem com-
munitatis aut magistratuum, sed vt Paulus disposu-
erat,

erat, sicut ipse ait, nempe per impositionem manuū cum ieiunio, precibus, ac cum sacrificio, sicut ipse idem Paulus Timotheum constituerat: & sicut idem Paulus & Barnabas * per singulas Ecclesias Lystræ & Iconij, & Antiochiæ Presbyteros constituerunt: immò sicut ipsi illi Paulus & Barnabas fuerunt constituti, sicut scriptum est, *Ministrantibus illis domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos, in opus, scilicet ac ministerium, ad quod assumpti erant à Deo non expectata vlla alia populi, aut magistratus vocatione.

*Act. 14.

*Act. 13.

Quo in loco illa sunt commemorata, vt hoc obiter obseruemus, quæ Ecclesia nostra sicut ab Apostolis didicit et accepit, vsq; in hodiernum diem in ordinationibus nostris seruat, ieiunium dico per quatuor tempora, quæ ad ordinationes hierarchicas solenni ritu constituta sunt: item preces, sacrificium & impositionem manuū. Quòd si ad huc his testimonijs diuini verbi non credunt, dicamus cum beato Petro, * Habemus firmiorem propheticum sermonem, quē vtinam attendere vellent. Docet enim manifeste, à Deo vocari sacerdotes * & ministros noui testamenti, eosdemq; à Deo item vocari ad beneficia, ac proinde eligi ad officia, quę honore beneficiorum, vt inde viuant, remunerantur. Deniq; docet, sic vocari sacerdotes, id est, Episcopos & Presbyteros ad sortes ecclesiarum, & ecclesiasticorum beneficiorum in nouo testamento, vt vocatæ sunt olim in vetere duodecim tribus ad possessionem terræ promissionis illis distributæ. Scilicet vocatæ sunt secundùm præce-

*2. Pet. 1.

*Isai. 61.

ptum & ordinationem Dei ſigno diuinitus dato. Hoc enim ſignificat ſors illa, quam educebat Ioſue coram Deo, vt ſimiliter interpretemur, atque interpretatus eſt diuinus Dionyſius illam in electione Matthiæ* ſortem, ſicut paulò antè diximus. Sic, inquam, in nouo teſtamento Epiſcopi, Presbyteri & miniſtri non à populis, ſed à Deo ſecundũ legem eius ad ſortes eccleſiarum, & iurium earum vocantur, ſigno ſcilicet diuinitus ad hoc declarandum inſtituto, quod ſit in gradibus eccleſiaſticæ hierarchiæ à Deo vocatis, inſtar illius ſortis, quæ cecidit* ſuper Mathiam, & quæ cecidit ſuper ſingulas portiones terræ promiſſionis ſecundùm ordinationem Dei diſtributas. Illa enim quæ cecidit ſuper tribum Beniamin, *& ſuper cognationes Metri, & peruenit vſque ad Saul filium Cis, declarabat, eligi quidem Saulem à Deo, non tamen ſecundùm legem eius, ſed ſecundùm legẽ aliarum gentium, ſicut Iſraëlitæ* petierunt. Itaque illũ propriè elegerunt homines, quatenus ſecundùm legem humanam elegerunt. Deus verò non propriè, quatenus non ſecundùm legem ſuam elegit. Hic dat Deus propriè poteſtatem: illic ratam habet, quam populus dat. Vocatio verò & electio Lutheranorũ miniſtrorum, quæ à populo fit, ne electioni quidem Saulis à populo factæ ſimilis eſt, cùm hanc Lutheranorum nullo modo ratam habeat Deus, ſed irritam & execrabilem. Satis igitur, vt opinor, demonſtratũ eſt, vocationes miniſtrorum ac Superintendentium apud Lutheranos & Caluinianos, cum prophetico ſermone, id eſt, cum verbo Dei pugnare: vocationes verò miniſtrorum Eccleſiæ noſtræ, ædificatas eſſe ſuper fundamentum* Apoſtolici & prophetici teſtimonij.

* Act. 1.
* Act. 1.
* 1. Reg. 10.
* 1. Reg. 8.
* Ephe. 2.

De

De tonsura clericali ab Isaia prophetata: Et de tonsura B. Petri ad irrisionem à gentibus facta, & ad decus & gloriam nostram relicta. Quid exemplo B. Petri faciendum sit contra Lutheranos, qui nos rasos & vnctos, ridendi causa vocant. De verbo quod Lutherani prædicant, quomodo ab ipsis processit & ad eos solos peruenit, quod est argumentum falsitatis eius secundùm Pauli Apostoli doctrinam. Quomodo vocationes ministrorum Ecclesiæ catholicæ, vno modo ab Apostolis tradito, vbiq; fiant in Ecclesijs Orientis & Aegypti atq; Africæ, & in cuncto Occidente sine auctoritate populi aut magistratus. Quomodo Isaias prophetarit, à quo essent vocandi, & quo iure, & quomodo, & ad quodnam ministerium.

CAPVT VIII.

SEd conferamus adhuc pauca quædam sermonis huius prophetici, quæ sequuntur, quæ magis ac magis vocationes ministrorũ Ecclesiæ nostræ confirment, & quasi digito indicent: contra verò vocationes Lutheranas, quæ à magistratu, aut à populo fiunt, magis ac magis coarguant. Ergo postquàm dixit Propheta, *Sic secundò possidebunt terram, quod satis, opinor, hactenus explanatum est, subiungit statim, Et lætitia sempiterna super caput eorum, sacerdotum scilicet, id est, Episcoporũ & Presbyterorũ, ac super caput ministrorum. De his enim adhuc rationali consequẽtia contexitur sermo propheticus: qui quidem per impositionem manus super caput factam ordinantur. Quia igitur impositionis manuum symbolum est tonsura clericorum, quæ ab ipso vsq; D. Petro in Ecclesia Occidentali, vbi meruit sedem collocare, vsq; in hodiernum diem solẽni ritu custoditur, vt quod Germanus Con-

*Isai. 61.

ſtantinopolitanus, vetus auctor, & ſanctitate ac ſapientia clarus, in libro de myſterijs ſacris, ſcripſit, factum eſſe Petro principi Apoſtolorum à gentibus ad irriſionem, vt raderetur ei caput quaſi amenti & inſano, hoc etiam præter alias eccleſiaſticæ tonſuræ cauſas in honorem clericis cederet, idcirco intuens Propheta in ſpiritu in myſterium impoſitionis manuum, & in ſymbolicam tonſuram & vnctionem capitis Epiſcopi, & in ipſam illam primam hierarchicam Apoſtolorum ordinationem, quæ facta eſt, vt ſanctus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos ſcribit, in die Pentecoſtes, linguis * ſuper caput eorum ſedentibus vice impoſitionis manuũ (quippe qui ordinarentur, ſicut ait Ammonius in actis Apoſt. magiſtri orbis) ſubiungit, * Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum: vnctionem quippe ſignum eſſe lætitiæ propter veterem morem lauandi & vngendi, nemo eſt, qui ignoret.

*Act. 2.

*Iſai. 61.

Sed rident hæretici, & nos ridentes, raſos & vnctos vocant: ac cùm tõſuram noſtram & vnctionem ad traditionis originem reuocamus, vt eam à riſu eorum vindicemus, tunc magis rident. Quid igitur faciemus? Quid beatus Petrus fecit, cuius tonſura à gentibus irridendi cauſa facta, nobis in lætitiam, & in riſum ſpirituale Deo ita prouidente ceſsit? Quid inquam Petrus fecit ad probandum gloriam dominicæ transfigurationis, quæ infidelibus quidem fabula videbatur, & earum fortaſſe ſimilis, quas Poetę metamorphoſes finxerunt & appellarunt, fidelibus verò præ admirabilitate ferè incredibilis? Hoc ſcilicet fecit: poſtquã ſe & eos, qui ſecum trãsfigurationi *interfuerant, teſtes illius glorię in monte oſtenſæ,

*Matth. 17.

illiuſq;

illiusq́ de cœlo auditæ vocis citauit, ne vlla deinceps dubitandi ratio præter voluntariam cæcitatem ac perfidiam relinqueretur, testimonij sui auctoritatem, vt nullius iam temeritate quateretur, ad originem ac firmitatem fundamenti à Deo suppositi ac substructi reuocauit. Et habemus*(inquit, si amplius scilicet requiritis) firmiorem propheticum sermonẽ, cui benè facitis attendentes, quæ iam suo loco explicauimus, ne eadem repetamus. Dixerat autem paulò antè pro testimonio illius mysterij, Non enim artificiosas fabulas secuti (sic enim vim verbi Græci expressimus) notam fecimus vobis Domini nostri IESV Christi virtutem & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis, & quæ sequuntur. *2.Pet. 1.

Et nos igitur pro testimonio doctrinæ, quam tradimus, dicamus hæreticis, Non enim prædicamus aut docemus, quæ per paucos, sed quæ per multos testes, sicut Apostolus ait, * audiuimus. Neq; enim verbum, quod in Ecclesia nostra catholica prædicatur, à nobis processit, sicut vestrũ, sed à primis Apostolis: aut ad nos solos peruenit, vt Apostolus Corinthijs* scripsit, sicut vestrũ verbum, quod vos prædicatis, quod vix ad totam Germaniam, vnde cœpit, peruenit: nostrum verò in vniuersum orbem, & in omnes mundi Ecclesias peruasit, quod per innumerabiles omnium sæculorum testes auditum est. At vestrum vbi latebat ante quinquaginta annos? Vbi inquam ante Lutherum aut Caluinum, qui sectis suis nomen primi dederunt? Interrogate Ecclesias Orientis, & Aegypti, & totum Occidentem, an habeant vestras ministrorum vocatiões, id est, nouas, profanas, sacrilegas, an nostras potius? Nos ergo nõ *2.Tim. 2. *1.Cor. 14.

 fabulas

fabulas callidè compositas & fictas secuti, sicut bea-
*2. Pet. 1. tus Petrus ait, * legitimas vocationes ministrorum
Ecclesiæ catholicæ sine auctoritate populi aut magi-
stratus vobis ostendimus, tot ac tantis, & tam anti-
quis testibus credentes. Hunc enim ritum Ecclesia,
& hanc legem à Christo per sanctos Apostolos acce-
2. Tim. 1. pit, & tanquam depositum fideliter custodit. Et ha-
*2. Pet. 1. bemus adhuc propheticum * sermonem, cui si bene
facimus attendentes, sicut beatus Petrus ait, sequi-
tur, vt vos Lutherani & Caluiniani malè faciatis, nõ
attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso
loco, donec lucifer oriatur in cordibus vestris. Spi-
*Isai. 61. ritu enim sancto inspiratus propheta Isaias * de eis
locutus est, eas velut digito indicans, dum prophe-
tat, à quo essent ad gradum ac ministerium suum in
Ecclesia vocandi sacerdotes: quorum sunt, vt A-
nacletus ait, ordines duo, Episcoporum & Presby-
terorum: à quo item ministri, scilicet non à populo,
aut à magistratu, sed à Deo. Rursus, quo iure vocan-
di ad possessionem bonorum Ecclesiasticorum, vt
ex eis viuerent, diuino scilicet, non humano & ciuí-
li: præterea quomodo vocandi, scilicet per imposi-
tionem manus, & per vnctionem capitis, vt Episco-
pi, non autem per suffragia populi: deinde ad quód-
nam ministerium vocandi, nempe ad ministerium
verbi & Sacramentorum, vt videlicet sacerdotes sa-
na doctrina verbi Dei & fideli Sacramentorum di-
spẽsatione, tanquam boni patres spirituales filios &
filias in Christo generarent per baptismum, robo-
rarent per Chrisma, per mystici panis alimentum
facerent crescere, lapsos per pœnitentiam repara-
rent, si nollent continentes esse, in sancto matrimo-
nio

nio collocarēt: ſi ægrotarent, oleo myſtico vngerent: & deniq; ad conſummationem * ſanctorum perducerent. Sed pergamus ad reliqua, quæ in loco Iſaiæ propoſito ſequuntur, quæ ad coarguendum hæreticos, contra quos diſputamus, aptiſſima ſunt. * Ephe. 4.

Quomodo ad prædicationem uerbi, & ſacramentorum diſpenſationem uocentur ſacerdotes noui Teſtamenti ſecundùm prophetiam Iſaiæ. Et de notis & ſignis propheticis ad internoſcendum Catholicos à non Catholicis. Et quomodo ſi Lutherani inter Turcas uiuerent, non agnoſcerent eos pro Chriſtianis Turcæ, propter mutationem cultus: ex quo fit, ut ſit ſemen adulterum, & non ſemen quod ſciatur inter gentes ſecundùm propheticum ſermonem. Item de maledicentia hæreticorum & blaſphemijs diabolicis. Et quomodo liceat Catholicis uituperare hæreticos exemplo ſanctorum, ut uel ſic confundantur. Et quòd hæreticos catholicis maledicere, ſit perinde ut dæmones maledicere angelis. Quòd nullum genus hominum peius oderint Turcæ quàm Lutheranos, propter mutationem religionis. Et quòd Lutheranis exprobrari poßit, quod Ieremias Iudæis de mutatione cultus præter morem aliarum gentium. Deinde de contentionibus hæreticorum.

CPVT IX.

ERgo poſtq; prædixit Propheta vocandas eſſe gentes, & transferendam legem, ac ſacerdotium, reddit cauſam, cur hoc: Quia, inquit, * amo iuſtitiam, & odi rapinam: huiuſmodi enim erant Iudæi, & qui ſynagogæ eorum præerant. Hoc eſt, inquit Cyrillus, quod dominus dixit illis in Euangelio, * Auferetur à vobis regnū Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Illi ergo, inquit, eiecti ſunt, & vobis vocatis ex gentibus εἰς ἱερουργίαν, id eſt, ad ſacerdotij miniſterium, quod in prædicatione verbi, & ſacramentorum * Iſai. 61. * Matth. 21.

dispensatione versatur, disponam testamentum æternum, quod, vt Cyrillus ait, prædicationem Euangelij significat, quæ cum sacramentorũ dispensatione coniuncta est. Sic Malachias de sacerdotibus veteris legis, qui typi erant nostrorum, Labia, inquit, * Malach. 2. " sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent " ex ore eius: Et paulò antè de Leui, ex cuius tribu erãt " sacerdotes, Testamentum meum, inquit, fuit cum eo " vitæ & pacis: & Moses explicatius in benedictionibus illis mysticis ac propheticis duodecim tribuum de spiritualibus Leuitis, Hi inquit, * custodierunt eloquium tuum, & testamentum tuũ seruauerunt. Et paulò pòst, Ponent inquit, thymiama in furore tuo, & holocausta super altare tuum. *Deut. 33.

" Subiungit deinde Isaias, *Et scietur in gentibus se- " men eorum: & germen eorum in medio populorum: " omnes qui viderint illos, cognoscent eos: quia isti " sunt semen, cui benedixit Deus. Scilicet dedit Deus secundùm propheticum sermonem, sacerdotibus ministerium euangelicæ prædicationis, simul etiam ministerium sacramentorum: vtrumque enim pertinet ad æterni testamenti dispositionem sacerdotibus factam. Qui hoc duplici ministerio verbi & sacramentorum, tanquam patres quidam spirituales, gignunt in Christo, sicut scriptum est, * Nam in Christo IESV per Euangelium ego vos genui. Sed quia futurum erat aliquando, vt plerique filiorum à fide patrum ita degenerarent, vt non ab illis nati esse viderentur, notas insignes & illustres adhibuit sermo propheticus ad internoscendos adulterinos à filijs, qui essent, sicut Apostolus ait, * sine querela & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio natio- *Isai. 61. *1.Cor. 4. *Philip. 2.

nis

nis prauæ, inter quos lucerent tanquam lumina in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam patrũ in die Christi. Idcirco ait, *Scietur in gentibus semẽ eorum. *Isa. 61.
Infiniti itaque sunt fratres nostri, qui fidẽ Ecclesiæ nostræ tenent, id est, qui à fide patrũ nostrorum spiritualiũ non degenerarunt, qui in Aegypto, & per totum Orientem inter gentes Turcarũ, apud quas possent, si vellent, more eorum, id est, turpiter & flagitiosè viuere, lucent tamen tanquam lumina, innocenter, castè ac religiosè, non solùm in monasterijs, sed in medio populorũ viuentes. Ostendant ergo nobis Lutherani aut Caluiniani aliquos ex suis vel pauculos, qui sobriè, & pudicè, ac piè inter Turcas aut etiam alias gẽtes viuant. Immò ostendant saltem inter suos. Sciet, inquit, in gentibus semen eorum. Quæro, Turcarum gentes, quę in Ecclesijs Christianorũ, quas in suis ciuitatibus permittunt, semper ex quo meminisse possunt, & ex memoria patrũ repetere, atque ex monumẽtis literarum cognoscere, de nostro ritu, religione & cultu, ac cęrimonijs audierũt, & imagines atque sacerdotes, quales nũc habemus, viderunt, si Lutheranos aut Caluinianos, sine ecclesiastica & pontificali ordinatiõe sacerdotũ ac ministrorũ, sine sacra ara, sine vnctione, sine imaginibus, sine cultu reliquiarũ, sine aspersione aquę sanctificatę, sine cęreis, sine luminaribus, sine delectu ciborũ, sine certis ieiunijs, sine ferijs sanctorũ, si denique sine alijs cęrimonijs, & religionib. viderent, hæc.n. nostri, qui inter eos habitãt, nõ semp ab oculis eorũ remouere possunt, an pro Christianis agnoscerẽt? an ab illis sacerdotibus, quos in nostris Ecclesijs apud se viderunt, audierũt, legerunt, tanquam ex patribus spiritualibus oriundos esse

putarent? Ecquis hoc dicat? Vbi ergo illud firmum
Isai. 61. testimonium prophetici sermonis de Christianis, Et
*Isai. 1. scietur in gentibus semẽ eorũ? Ergo sunt, sicut ait scri-
Isai. 57. ptura, semen adulterinum, semen nequ, semen* adul-
terorum, & meretricis. Adulteri enim sunt vestri sa-
cerdotes, ô Lutherani, quorum semen estis: & adul-
tera vestra synagoga, non enim vocabo Ecclesiam.
Isai. 57. Sequitur, Super quem insultastis? super quem a-
» peruistis os? Super quem proiecistis linguam? non-
» ne vos estis filij perditionis? semen vile? sic enim est
apud 70. Scilicet nullum genus hominum petulan-
tius, & ad maledicentiam promptius est, quam hære-
ticorum: ita vt vel ex maledicentia, tanquam ex pro-
pria nota, liceat eos agnoscere, qui neque Deo, neque an-
gelis parcunt, quin in eos blasphemias euomãt. No-
tauit hoc eorum vitiũ beatus Petrus, cùm illorũ mo-
2. Pet. 2. res describens, Dominationem, inquit, contemnũt,
audaces, sibi placentes: glorias, siue splendores (an-
gelos intelligit) non tremunt blasphemantes: cũ an-
geli alioqui fortitudine & virtute prӕstantiores (dӕ-
monibus scilicet, vt ex illo angelo perspici potuit,
qui vna nocte centum octoginta quinque millia As-
4. Reg. 19. syriorum occidit) tamen non audent inferre contra
eos iudicium apud Dominũ. Idem notauit Aposto-
Iude. 1. lus Iudas in epistola sua canonica: Dominationem,
inquit, spernunt, glorias autem siue splendores (an-
gelos quoque intelligit) blasphemant: cùm Michaël
archangelus cum diabolo disputans altercaretur
de corpore Mosis, non est ausus iudicium infer-
re blasphemiæ. Quòd enim Michaëli archangelo
diabolus resisteret, quia diuinæ erat œconomiæ,
quam iudicare ac reprehendere impium sit & blas-
phemum,

phemum, idcirco Michaël archangelus non est ausus inuehi in diabolum resistentem, ne in diuinam prouidentiam & œconomiam simul inueheretur. At nos si quando hæreticos contumeliosè tractamus, licere hoc exemplo Pauli * probamus, cùm Elymam magum filium diaboli vocauit: & beatus Ioannes Cherintum primogenitum Satanæ. Quòd enim hæreticus Euangelium oppugnat, voluntariæ malitiæ est, quæ omni vituperatione digna est, si fortè vituperatus resipiscat. Hæreticos verò maledicta & contumelias in catholicos effundere, quod procacissimè & petulantissimè faciunt, quid aliud est, quàm dæmones angelis maledicere? Hæretici enim sunt filij perditiõis, id est, filij diaboli, catholici verò filij Dei, quorum conuersatio * in cælis est, sicut angelorum. Super quem ergo, inquit, * insultastis? Super quem aperuistis os? super quem proiecistis linguam? nónne super eos, qui idem semper senserunt & sentiunt? & in eadem regula * catholicæ fidei, quam à principio acceperunt, permanent, qui sunt filij acquisitionis? Catholici verò, si quando super hæreticos os aperiunt, super quos aperiunt? nónne super filios perditionis, & super vilissimos aperiunt? Nullum enim hominum genus vilius, magisq́ infame est & odiosius, quàm hæretici, immò audio, nullos magis odio & ludibrio Turcarum genti esse quàm Lutheranos, propter antiquæ religionis mutationem, quę illis videtur omne sacrilegium & impietatem superare. In vos ergo Lutherani & Caluiniani conuenit, quod Propheta Ieremias * Iudæis exprobrabat, quòd omnes nationes ritus ac religiones, quanquam falsas, maiorum suorum retinerent præter gentem

*Act. 13.
Ireneus lib. 3. cap. 3.
*Philip. 3.
*Isai. 57.
*Philip. 3.
*Ierem. 2.

» Iudæorum. Transite inquit, ad insulas Cethin, & vi-
» dete: & in Cedar mittite, & considerate vehementer,
» & videte si factum est huiuscemodi: si mutauit gens
» Deos, & certè ipsi non sunt Dij: Populus verò meus
» mutauit gloriam suam in idolum. Narrat Chrysostomus in commentarijs prophetæ huius, hanc de Cethin historiam, siue ea, vt quidam volunt, Cyprus sit, siue, vt alij, Chios, cùm imbres largos ac copiosos haberet: contrà verò Cedar, id est, Sarraceni, siccitate laborarent, causamque imbrium Deo, quem Chij colerent, patrio & fictili assignarent, misisse eos Deum aureũ, siue, vt alij narrant, ex margaritis coagmentatum, ad permutandũ cum illo fictili Chio: Chios verò noluisse. At Lutherani & Caluiniani, quod Sarraceni facere voluerũt, gloriam suam in idolum mutarunt: splendorem, inquam, cærimoniarum, quas maiores eorum, vt ex veterum monumentis perspici potest, semper retinuerunt, in eum cultum, quem ipsi finxerũt, vnde fictilem appellare possumus, mutauerunt. Hæc igitur est causa, cur si inter gentes paganorum Lutherani aut Caluiniani habitarent, nemo tamen eos ex antiqua stirpe spiritualium patrum, id est, sacerdotum natos esse crederet. Contrà verò filios Ecclesiæ nostræ, eosdemque fratres nostros veros, qui inter gentes habitant, ipsæ illæ gentes sciunt ab illis antiquis patribus ortũ ducere, vt impleatur
Isai. 61. „ tur quod per prophetam prædictum est, * Et scietur
„ in gentibus semen eorum.

„ Sequitur deinde, Et germen, siue nepotes eorum
„ in medio populorum: omnes qui viderint eos, co-
„ gnoscent illos, quia semen benedictum sunt. Hæc est alia nota prophetica ad dignoscendum, qui sint non

adulterini,

adulterini, sed filij patrum spiritualium, id est, sacerdotum, qui à Deo vocati fuerunt, ij scilicet, qui in pace habitent, & inter quos non sint contentiones de fide & schismata, sed potius idipsum* dicant omnes: sintq; sicut Apostolus ait, * in eodem sensu ac scientia perfecti. Hoc enim est habitare in medio populorũ, sicut Sunamitis illa, percontante Eliseo, nunquid haberet negotium, aut vellet regi commendari, aut principi militiæ, respondit, * In medio populi ego habito: id est, in pace sum, ac secura: cum nullo mihi controuersia est. Sic enim Theodoretus in scholijs librorum de Regibus interpretatus est. Apud nos verò nullæ de fide pugnæ sunt, quia sapientia verbi Dei, quod prædicamus, quoniam desursum est, sicut beatus Iacobus ait, * pacifica est. Vnde propheta Malachias* de nouo testamento & sacerdotibus eius à Deo vocatis loquens in spiritu, Testamentum meum, inquit, vitæ & pacis fuit cum Leui. At verò inter Lutheranos, quot contentiones de fide? quot quasi gladiatoriæ concertationes? dum ex testamento pacis & vitæ, testamentum pugnæ & mortis faciunt: ex Deo pacis Deum* dissensionis. Quare vel ex eo liquet, degenerare Lutheranos & Caluinianos à patribus suis spiritualibus antiquis sacerdotibus, qui à Deo, non à populo, aut magistratu, vocabantur, qui vel istos, vel istorum patres, aut auos in Christo genuerunt, ex eo inquam liquet, quòd illi iuxta propheticum sermonem in medio populorum habitarunt, id est, in pace vixerunt, idipsum * sapientes, & in eadem regula, sicut Apostolus ait, * permanentes: quia videlicet sapientiam, quæ desursum est, quæ in medijs semitis

*Philip. 2. *Philip. 1. *4. Reg. 4. *Iac. 3. *Malach. 2. *1. Cor. 14. *Philip. 2. *Philip. 3.

Proue. 8. semitis iuxta portas, vt ait Salomon,* habitat, tenebant, prædicabant & profitebantur. At illorum filij & nepotes Lutherani & Caluiniani, non in medio populorum habitant, qui de fide inter se pugnaciter contendunt: & alij alios declinant, aut persequũtur: neq palam, sed occultè docent, neq omnes in eodem dogmate & regula permanent. Idcirco non sunt semen illorum, cui Deus benedixit omni benedictione spirituali* in cœlestibus. *Ephes. 1.

*Isai. 61. Subiungit deinde Propheta, *Et gaudio lætabuntur in domino: exultet anima mea in domino. De gaudio illorum loquitur, qui tales filios genuerunt, qui essent semen, cui benedixit Deus. Vnde Paulus Philippensibus: Implete, inquit, *gaudium meum, vt idem sapiatis, eãdem caritatem habentes, vnanimes, id ipsum sentientes. Et rursus, *Itaq fratres mei carissimi & desideratissimi, gaudium & corona mea: & quæ sequuntur. Ac quia non solùm gaudet, qui alterum in Christo gignit, & ad participandam diuinam benedictionem adducit, sed etiam is, qui gignitur & adducitur, socius efficitur gaudij illius, sicut idem Apostolus ad eosdem Philippenses scripsit inquiens, *In cunctis orationibus meis cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in Euangelio Christi: Et paulò pòst, Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis, eò quòd habeam vos in corde, & vinculis meis in defensione & confirmatione Euangelij, socios gaudij mei. Quia gaudium inquam, patris spiritualis coniunctum est cum gaudio eius, quem in Christo genuit, idcirco ex vtriusq gaudio contexitur sermo propheticus. Itaq subiungit in persona istius seminis benedicti, * Exultet anima

*Philip. 2. *Philip. 4. *Philip. 1. *Isai. 61.

mea in domino. Sed quæ causa exultationis? Induit enim me, inquit, vestimẽto salutis, & tunica lætitiæ. Intuebatur propheta loquens in spiritu in vestem illam candidam, quam regeneratus in Christo secundùm diuinam traditionem induit: quæ symbolicè docet, sicut diuinus Dionysius cap. 2. Eccles. Hierarch. tradit, per mysterium baptismi, instar vestis splendidæ, Christum indui: Copulatur enim, inquit, in vnum cùm induto, & protegit eum à contrarijs: & splendore vitæ ornat, cuius rei symbolum est ille candor tunicæ. Sequitur deinde, * Sicut sponso circundedit mihi mitram: hoc dicit qui baptizat, si Hierarcha est, id est, Episcopus, huic enim conuenit mitra, quæ sic hodie vocatur. Alterum, quod proximè antecessit, dicit baptizatus, qui Deo despondetur: sicut Apostolus ait, * Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Deinde quia Dei agricultura sumus, sicut Apostolus * ait. Sacerdotum verò est, adiutores Dei esse rigando & plantando, & domini dare incrementum, subiungit idem propheta, Et sicut terra afferens florem „ suum, & hortus semina sua germinat, sic proferet „ dominus iustitiam & laudem coram omnibus gen- „ tibus.

* Isa. 61.
* 2. Cor. 11.
* 1. Cor. 3.

Hactenus propheticus sermo de sacerdotibus, quorum sunt, vt diximus, ordines duo, Episcoporum, & Presbyterorum: & de diaconis, qui vtrisque illorum ministrant, dixit à quo vocentur, & quo modo, scilicet à Deo, & non per suffragia populi secundùm legem seculi, id est, non per seculares, sed per ecclesiasticos secundùm Dei legem. Item vnde viuant, & quo iure, nempe ex oblationibus diuino

iure ad eos pertinentibus. Deinde ad quod genus ministerij vocentur sacerdotes: vocantur enim, vt fiant patres spirituales, & adiutores Dei, tanquam agricolæ quidam ad gignendum filios & filias, & ad rigandum ac serendum per ministerium verbi & sacramentorum. Præterea addidit Propheta signa ad dignoscendum adulterinos à filijs. Sed tempus admonet, vt pergamus ad alium locum propheticum, ad illum scilicet, qui est apud eundem Isaiam. cap. 1. de iudicibus spiritualibus noui Testamenti. Ex quo etiam clarissimè intelligemus, legitimas ministrorum Ecclesiæ vocationes non posse à magistratu, aut à populo fieri, idq; prophetico item sermoni repugnare, qui est fundamentum euangelici. Simul etiam intelligemus, quod erit proximi capitis proprium, non posse ecclesiasticas causas ac quæstiones à secularibus iudicari, idque verbo Dei vetari.

Explicatio loci Isaiæ cap. 1. Restituam iudices tuos sicut fuerant prius: & consiliarios tuos sicut antiquitus, repetito altius principio. Quomodo hic expressè Isaias, præpositos Ecclesiarum à Deo, non per suffragium humanum, uocandos esse prophetauerit. Et quomodo cauillatio Caluini prophetico sermone redarguatur. Et quòd Iudaicum sit, auctore B. Hieronymo, dicere, promitti hic ab Isaia post captiuitatem Babylonicam Zorobabelem, Esdram, Neemiam, & si qui alij, neq; rursus promitti iudices, quales populus elegit, cùm Regem Saulem elegit.

CAPVT X.

* *Isai. 1.* AIt itaq; Isaias * Et restituam iudices tuos, vt fuerunt prius: & consiliarios tuos, sicut antiquitus:

tus: & quę sequuntur. Vt autem facilius intelligatur, quos iudices dicat hic Propheta, & quos consiliarios, necesse est paulò altius repetere, sed summatim, ne longior sim, scilicet ab eo loco, quem Paulus Apostolus in epistola ad Rom. ex eodem capite Isaiæ de vocatione gentium ad fidem Christi secundùm scientiam sibi datam interpretatus est. Dixerat ergo Apostolus de vocatione gentiũ, productis testimonijs Prophetarum: postea subiungit de vocatione Iudæorum inquiens,* Isaias autem clamat pro Israël, Si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris, reliquiæ salui fient. Ac rursus, Sicut prędixit Isaias, Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus: & sicut Gomorrha similes fuissemus. Subiungit postea Paulus, quasi interpres Isaiæ, causam, cur tanta multitudo Iudæorum interierit paucis relictis, cùm alioqui bona esset lex, quam tenerent, Quia inquit, non ex fide, sed quasi ex operibus legis: offenderunt enim in lapidẽ offensionis & petram scandali, sicut scriptum est, * Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis qui credit in eum, non confundetur. Quod perinde est, quasi diceret, sicut in alio loco dixit, * Bona quidem est lex Mosis, si quis eà legitimè vtatur. Postquam enim venit Christus, qui est finis legis * ad iustitiam omni credenti, sicut ipsa lex testatur, oportet secundùm ipsius legis testimonium legi mori, sicut Apost. ait, * id est, cessare ab operibus legis, & nõ sectari amplius iustitiã, quæ ex lege est, quę est iustitia carnis, quam lex per vim & metũ mortis operatur, sed sectari pleniorẽ iustitiã, nempe ex fide Christi, ac dilectiõe, quę est iustitia spiritus ex Deo.

*Rom. 9.

*Isai. 8. et 28.

*1. Tim. 1.

*Rom. 10.

*Gal. 2.

Idcirco statim Isaias in eodem capite de cessatione
*Isai. 1. operum legis prophetat subiungens, * Audite verbum domini: Quid mihi multitudo victimarum, & quæ sequuntur. Deinde quia ad hanc iustitiam Dei
Rom. 9. non peruenit Israël, sicut Apostolus ait, quia offenderunt, inquit, in lapidem offensionis, id est, quia
*Act. 2. sicut beatus Petrus dixit, * IESVM Nazarenum ostensum eis à Deo virtutibus & prodigijs & signis, quæ fecit Deus per eum in medio eorum, interfecerunt, idcirco subiungit statim idem Propheta post prophetiam de cessatione legis per aduentum Chri-
*Isai. 1. » sti, Cùm extenderitis * manus, auertam oculos: & si » multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Et sub- » iungit causam, Quia manus, inquit, plenæ sunt san- » guine. Deinde hortatur eos ad pœnitentiam ex cor- » de per fidem, subiungens statim, Lauamini, mundi » estote: auferte nequitias ab animabus vestris co- » ram oculis meis: quod est hortari eos ad pœnitentiam ex corde per fidem. Similiter beatus Petrus, postquam accusauerat Iudæos de morte Christi, continuò hortatur eos ad pœnitentiam: Et nunc, in-
*Actor. 3. quit, *fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri: (dixerat autem interfecisse eos auctorem vitæ) Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra, vt veniant tempora refrigerij à conspectu domini. Pro quo Isaias subiungit, Si autem non volueritis, scilicet » agere pœnitentiam, & ad fidem Christi conuerti, » gladius deuorabit vos. Deinde exprobrat Propheta ipsis illis Iudæis, quòd cùm essent ciuitas fidelis plena iudicij, id est, cùm crederent in Deum, & in eo gloriarentur, & haberent, sicut Apostolus

lus ait,* & vt ipsi iactabant, formam scientiæ & ve-*Rom. 2.
ritatis in lege ad iudicandum & viuendum secundùm eam, ipsi tamen erant homicidæ, qui & prophetas, & auctorem vitæ & Dominum prophetarum occiderunt. Tum Propheta, quia erant deprauatores legis, quam scribæ & pharisæi suis traditionibus corrumpebant, veluti argentum scoria, aut vinum aqua miscentes, erant auari, qui etiam Ciminum,* & anethum, & mentam decimarent, erant iu-*Matth. 23.
stitiæ & misericordiæ contemptores, & gloriam * ad *Ioan. 5.
inuicem quærentes, hæc enim omnia Dominus in Euāgelio eis exprobrabat, quæ hîc Propheta exprobrauit, idcirco subiungit postea, vt iam propius ad locum propositum accedamus. Væ*potētibus Israël: » *Isai. 1.
nō cessabit enim meus furor cōtra aduersarios: & iu- »
dicium de inimicis meis faciam. Potentes Israël vo- »
cat, & inimicos eos, qui præerant, principes dico sacerdotum, & scribas, ac pharisæos, quos multitudo sequebatur tanquam oues pastorem, quos grauius oportebat punire, quia alijs regnum cælorum clauderēt, vt eis Dominus* exprobrabat, dum non sine-*Luc. 11.
bant intrare ad capiendam fidem. Hi igitur in primis vlciscendi erant in illa Hierosolymitana clade à Romano exercitu illata. Qui enim crediderunt, non interierūt, sed incolumes seruati sunt. Potest quoque simul intelligi de supplicio æterno.

Sequitur postea, * Et inducam manum meam in *Isai. 1.
te: & igne examinabo te ad purum, sed inobedientes »
perdam: & auferam exleges à te, & omnes superbos: »
& instituam iudices tuos sicut prius: & consiliarios »
tuos sicut à principio: & posthæc vocaberis ciuitas »
iustitiæ, metropolis fidelis Sion. Hæc est Ecclesia »

ex Iudæis primùm congregata, ſpiritualis Sion, & ciuitas Dei viuentis, iuſtificata ex fide Chriſti iuſti, & iuſtificantis: vnde ciuitas iuſtitiæ vocatur, & fidelis Sion, quæ illi Sion terreſtri & carnali ſublata lege, & vaſtata vrbe ac templo eius ſucceſsit.
" De hac igitur prophetauit Iſaias inquiens, Et in-
" ducam manum in te: & igne te examinabo ad purũ.
" Hoc autem eſt, quod dixit beatus Ioannes præcur-
*Matth. 3. ſor de Chriſto Eccleſiam congregaturo, *Et baptizabit vos ſpiritu & igne: id eſt, baptizabit Spiritu ſancto, inſtar ignis eruginem peccati cõſumente. Se-
*Iſa. 1. " quitur, *Et inobediẽtes perdam: & auferam omnes
" exleges, & ſuperbos. Nõ dixit, & auferã peccatores: eſt enim Eccleſia mixta ex iuſtis ac peccatoribus: ſed ſuperbos, qui non acquieſcunt, ſicut Apoſtolus ait,
*1. Tim. 6. *ſanis domini noſtri IESV Chriſti ſermonibus, & ei, quæ eſt ſecundùm pietatem doctrinæ: & exleges, quos Græci vocant ἀνόμους, qui ſunt, vt magnus Baſilius notauit, vel ij, qui non audierunt legem diuinam: vel nondum acceſſerunt, vel receſſerunt ab ea. Simile, inquit Baſilius, fit in Eccleſia, ne modi-
*1. Cor. 5. cum fermentum *totam maſſam corrumpat. Eijciuntur, inquit, exleges ex ſocietate reliqui corporis, quod iſti moleſte ferunt, nõ conſiderantes imaginẽ eſſe hanc illius ſeparatiõis, quæ in illo horribili iudicio extremo fiet. Hactenus magnus Baſilius. Si-
*Matth. 3. militer ergo in Euãgelio poſtꝙ dixit Ioannes, *Et baptizabit vos Spiritu ſancto & igni, ſubiũgit ſtatim: Cuius vẽtilabrum in manu ſua. Ventilabrum enim vocat poteſtatem iudicialem ſeparandi ab Eccleſia ex baptizatis congregata iſtos, quos Iſaias dicit inobedientes, exleges ac ſuperbos. Vnde ſtatim ſub-

subiungit idem Ioannes, Et *permundabit aream suam (sic enim vocat Ecclesiam) & congregabit triticum in horreum suum: & paleas comburet igni inextinguibili, pro quo hic dixit Propheta, *Sed inobedientes perdam. Paleas enim vocat facilè inflammabiles, & igne æterno dignos, cuiusmodi sunt ij, qui sunt inobedientes propter elationem, mobiles ab spe Euangelij, non idem * sapientes, neque permanentes *in eadem regula, sed qui potius omni vento *doctrinæ circũferuntur, qui quidem eijciuntur nunc ex Ecclesia, & traduntur gladio ignis. Sic enim vocat Clemens Romanus excommunicationem, quæ instar ignis & gladij habet vim separandi: in altero autem seculo, vero igni, & quidem inextinguibili, tradentur. Contrà verò instar tritici sunt ij, qui sunt graues, vtiles, humiles, obedientes, & in eadem regula * permanentes: qui quidem in verum horreum, id est, in vitam cælestem tunc congregabuntur, quando in consummatione seculi exibunt* angeli, & separabunt malos de medio iustorum. Cum ergo dixit Isaias, *Et inducam manum meam in te: manum, vt dixi, vocauit potestatem iudicialem, quæ in Euangelio* vocata est ventilabrum ad permundandam aream, & congregandum triticum in horreum Ecclesiæ, & ad paleas igni tradendas. Sed quibus relicta est huiusmodi manus? quibus traditum est hoc ventilabrum? Scilicet consentaneũ erat, vt hoc loco diceret Propheta, vbi de noua Sion, & noua ciuitate Dei, ac noua Ecclesia nõ habitura maculã, *neq; rugã, prophetabat. An relicta fortassis est hæc manus ijs ministris, qui ab hominib. & per homines eligerentur? an traditum est hoc ventilabrum,

*Isai. 1.
*Philip. 2.
*Philip. 3.
*Ephes. 4.
*Philip. 3.
*Matth. 13.
*Isa. 1.
*Matth. 3.
*Ephes. 5.

labrum, id est, hæc congregandi & separãdi potestas iudicibus à magistratu, aut à multitudine vocatis? Dicat propheticus sermo, & non per obscuras allegorias, neque mysticos sensus, quos scio, sicut tradit diuinus Dionysius in epis. ad Titum, non valere ad astringendam veritatem, ne possit de manu, vt ita dicã, extorqueri, sed dicat ἐμφανῶς καὶ ῥητῶς, id est, apertè & expressè: dicat inquam, ἀποδεικτικῶς, id est, demonstranter, ne vlla dubitandi causa relinquatur.
*Isai. 1. „ Præficiam, inquit, *iudices tuos sicut prius, & consi-„ liarios tuos sicut ab initio. Non satis erat, si dixisset, & præficiã iudices tuos & consiliarios tuos: Adhuc enim hæretici more suo vafrè propheticum sermonem eluderent: scilicet dicerent, præfici quidem à Deo, sed per suffragia multitudinis: sic enim Caluinus eorum propheta, quibus nomẽ dedit, & sacrilegæ disciplinæ sectam reliquit, ausus est interpretari, id est, malitiosè eludere illud quod Lucas narrat,
*Act. 14. *Paulum & Barnabam redeuntes Lystram, Iconium & Antiochiam, cõstituisse illic Presbyteros per singulas Ecclesias: scilicet constituisse dicit Paulum presbyteros per suffragia populi: idemq; fecisse Titum, cùm constituit Episcopos per ciuitates Cretæ,
*Tit. 1. sicut ei Paulus *præceperat: idcirco intuens Spiritus sanctus, in hæreticos istos vaniloquos, & seducto-
*2. Pet. 2. „ res, audaces, *& sibi placentes, non contentus dice-„ re, Præficiam iudices tuos, addidit, sicut prius. Iudæi verò interpretantur, promitti hîc post captiuitatem Babylonicam, Zorobabelem, Esdram, Neemiam, & si qui alij tales vsq; ad Hircanũ populo præfuerunt, quales quondam Moses, Iosue, & alij tempore iudicum præfuissent, sed Iudaicum esse hunc sensum

beatus

beatus quoque Hieronymus testatur. De Ecclesia enim noui testamenti apertè, vt iam docuimus, prophetat, quæ igne ad purum examinata est, id est, congregata ex baptizatis Spiritu sancto & igne: à qua separantur etiam corpore, si fieri potest, inobedientes & superbi, qui non acquiescunt* sanis domini * 1.Tim. 6.
nostri IESV Christi sermonibus, & ei quæ secundũ pietatẽ est doctrinæ. Verius itaq; & rectius, ait Hieronymus, promittit hic Apostolos, & eos, qui per Apostolos ecclesiarum principes constituti sunt. Cùm igitur expresse & secundùm sensum historicũ propheticus sermo iudices noui testamenti promittit hic, ac tales quidem iudices, quales ante sub vetere testamento fuerunt, profectò non promittit tales iudices, quales olim Israëlitæ per imprudentiam suam à domino petierunt: cùm enim regem petierunt, simul iudices petierunt, sine quibus nòn potest rex regnum administrare. Itaq; dixerũt, sicut scriptum est, *Erimus nos quoq; sicut omnes gentes: & iudica- * 1.Reg. 8.
bit nos rex noster: & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis: quod quidem consilium, & voluntatem exprobrauit illis dominus, cùm dixit Samueli, Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Restat igitur, vt iudices promittat, qui non secundùm leges ac præcepta hominum, à Deo sint constituti, à quo est alioqui omnis *potestas, sed tales, *Rom. 13.
qui auctoritate Dei, ac secundum legem eius constituantur: sicut Clemens Romanus lib. 8. constitutionum Apostolicarum in persona Apostolorum de Episcopis, quos elegerunt, scripsit. Sic enim ait: Vt hanc constitutionem à nobis edocti, qui à nobis auctoritate Christi estis Episcopi constituti, omnia

Luc. 10. ſecundùm præcepta nobis tradita faciatis, ſcientes quòd qui nos audit, Chriſtum audit: & qui Chriſtum, patrem eius. Huiuſmodi ſunt iudices Eccleſiæ, qui ſunt paſtores ſpirituales, quos Epiſcopi auctoritate Chriſti ſecundùm legem & præceptum eius conſtituunt. Ipſe enim dixit Petro, ſuper quem Eccleſiam ædificauit, Paſce* oues meas, ſcilicet non *Ioan. 21.* has, aut illas, ſed omnes: & in eo iuſſit cæteris paſtoribus eccleſiarum, paſcere cuique eorum ſuas oues, id eſt, ſibi commiſſas: ſicut idem Petrus auctoritate eius, qui ſibi cuncti orbis oues paſcere præceperat, Epiſcopis Ponti, Galatiæ, Bithyniæ & Cappadociæ præcepit paſcere greges cuique ſuum. Paſcite, inquit,* *1. Pet. 5.* gregem, qui in vobis eſt.

Quomodo propheticus ſermo iudices Eccleſiaſticos noui Teſtamenti promiſerit, quales tempore iudicum fuiſſent, auctore etiam magno Baſilio: & collatio eorum quæ ſcripta ſunt de iudicibus illis tempore iudicum cum Epiſcopis. De iuſtis & peccatoribus in Eccleſia permixtis: & quòd iudices non ſeparant ab Eccleſia peccatores, ſed non obedientes fidei uel Eccleſiæ. Et quid ſit, Eccleſiã non habere maculam aut rugam, ex magnis auctoribus. Quomodo Lutherani non habeant Eccleſiam ſanctam & immaculatam, ſed potius ſpeluncam latronum & ouile ſcabioſum.

CAPVT XI.

HVIuſmodi ergo erant iudices illi priores, qui feruntur in libro Iudicum, quos Dominus, ſicut ait ſcriptura,* ſuſcitabat, & erat cum illis, & liberabant populum. Vnde quod Petrus* paſtori- *Iud. 2.* *1. Pet. 5.* bus Eccleſiæ præcepit, vt non ſic paſcerent, quaſi dominantes in clero, ſed potius vt forma gregis fierent, ſcilicet opere & exemplo omnis virtutis, & nõ

ſer-

sermone tantùm, hoc quidam illorum iudicum sermone & exemplo suo præmonstrauit: Sic.n. ait Gedeon iudex populi, * Quod me facere videritis, hoc facite: & quod fecero, sectamini. Et rursus cùm ei dicerent Israëlitę, * Dominare nostri tu, & filius tuus, & filij tui filius: respondit Gedeon, Non dominabor vestri, neq; dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur Dominus: contrà atq; fecit populus Israël, cùm petijt à Samuele * sacerdote & iudice, vt daret eis more aliarum gentium regem, quod erat, nolle habere Deum iudicem ac dominum, sicut eis exprobrauit dominus inquiens Samueli, Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Sed quòd tales iudices hoc loco propheticus sermo Ecclesię promittat, ne sine auctore, et quidem grauissimo, loquamur, interpretans hunc locū magnus Basilius, Tacitis, inquit, regibus, de iudicibus meminit propheta, quoniam illa iudicum Respublica liberior, inquit, tunc erat, & naturæ conuenientior, cùm populus legibus suis viuebat, ac Deum tantùm agnoscebat: status verò regis ex imprudentia illorum profectus est. Quare oportebat, vt quibus beneficium conferebat, beatiorem eis statum restitueret. Hactenus Basilius.

* Iud. 7.
* Iud. 8.
* 1. Reg. 8.

Hi igitur in Ecclesia noui testamenti iudices sunt, & esse debent, de quibus dici possit, quod de illis prioribus iudicibus scriptum est, * quòd suscitabat illos Deus: & erat cum eis, & liberabant populum. Sic inquam Episcopos suscitat dominus: nemo enim sumit * sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: & est cum illis dominus, scilicet per charisma spiritualis potestatis, quam eis dedit ad ligandum & soluendum, quod est liberare populum.

* Iud. 2.
* Heb. 5.

Hi iudices separant ab Ecclesia iuxta propheticum sermonem, si fieri potest, quod ex ipsis est, eos qui non audiunt eã, & exleges, * ac superbos, qui non acquiescunt (sicut Apostolus ait) * sanis Domini nostri IESV Christi sermonibus, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ. Hi enim habent in manu iuxta tropum Euangelij * venti labrum ad permundandũ aream. Dominus enim, sicut ait idem Apostolus, * tradidit se pro Ecclesia, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: vt exhiberet sibi (scilicet per ministros ac iudices Ecclesiæ) gloriosam Ecclesiam non habentẽ * maculã, aut rugã, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Non dixit, non habentem peccatum, aut sordes, aut aliquid huiusmodi: sunt enim nunc, vt in sagena * boni & mali pisces, sic in Ecclesia iusti & peccatores: iuncti quidem vtrique communione & societate vitę, vt ait Clemens Rom. non autẽ sanctitatis. Sed iudices Ecclesię non separant, vt ait idẽ Clemens, peccatores istos exemplo eius, qui solẽ * suũ oriri facit sup iustos & iniustos: & pluit super bonos, & malos. In studio, n. inquit, & curriculo Ecclesiæ simul sunt victores & victi. Itaque vt veteres tradũt, quãdiu mali in catholicę fidei sunt vnitate, bonos si nõ consentiant, sua cõmunione nõ maculant. Postquam verò ab Ecclesia separant, non iam sola consensione, sed etiã exteriore communione, communicatores suos maculare nõ dubitantur. Dixit ergo, non habentem * maculam, id est, fœditatem, aut spurcitiem notam & conspicuam, cuiusmodi est, nolle obedire Ecclesiæ, vel non obedire fidei. Rugam verò vocauit, quam quidam ex antiquis patribus interpretandi gratia dixit

ῥυτίδα

Marginal notes: * Isai. 1. — * 1. Tim. 6. — * Matth. 3. — * Ephes. 5. — * Ibid. — * Matth. 13. — * Matth. 5. — * Ephes. 5.

ῥυτίδα παλαιότητος, id eſt, rugam vetuſtatis, redire ſcilicet ad vetera legis, quæ iam tranſierunt, vt faciebant Galatæ, quo nihil fœdius in facie Eccleſiæ ſanguine Chriſti renouatæ, quaſi gratis mortuus ſit Chriſtus. Ac ne eſſet huiuſmodi ruga in facie Eccleſiæ, in faciem reſtitit Petro* Paulus Apoſtolus ſecundùm œconomiam miro artificio ſpiritus à Deo prouiſam. Noſtræ ergo Eccleſiæ iudices, peccatores iſtos non audientes Eccleſiam, & hæreticos, ac iudaizantes, ea auctoritate, qua ſunt à Deo conſtituti, ex Eccleſia ſecundùm legem Chriſti eijciunt, ita vt fiat hoc, ſicut ait beatus Aug. libro 3. contra Epiſtolam Parmeniani, vbi periculum ſchiſmatis nullum eſt. Eijciunt inquam, ex Eccleſia, ne, ſicut ait Clemens, fiat ex Eccleſia ſpelunca latronum. Hi enim ad corrumpendum communione & ſocietate ſua plurimũ valent, vt fermentum in maſſa, ſcabies in pecude, peſtis in homine, rabies in cane. Noſtra igitur Eccleſia ſancta & immaculata eſt, & dicitur, quia huiuſmodi maculis caret, & eſt in fide perfecta. Significari autem non leues maculas his verbis σπίλων & μώμων, vnde ἄσπιλος & ἄμωμος Eccleſia dicitur, ſatis docet epiſtola beati Petri,* vbi fœdiſsimos & ſpurciſsimos hæreticos, ſiue ij Simoniani eſſent, vt quibuſdã placet, ſiue Carpocratiani, vt Clemẽs Alexand. in 3. libro Strom. ſenſit, σπίλους & μώμους appellat: & Iudas Apoſtolus eoſdem Carpocratianos, vt idem Clemens in commentarijs Epiſtolæ eius ait, σπιλάδας. Itaq; non ad leuiora, vt quibuſdam viſum eſt, ſed ad fœdam contagionem criminum, magni auctores maculam & rugam retulerunt, vt Methodius martyr in Simpoſio decem virginum, vbi iſta vocat ἀτοπήματα σαρκός.

*Gal. 2.

*Matth. 21.

*2. Pet. 2.

τὰ σαρκός. Item sanctus Patianus grauis & peruetustus auctor Barchinonensis Episcopus, in libro contra Nouatianos. Ecclesia est, inquit, non habens *maculam, neque rugam: deinde subiungit explicandi gratia, Hoc est, hæreses nō habens, non Valentinos, nō Cataphrygas, non Nouationos, & quæ sequuntur. Item beatus Hieronymus in epist. ad Theophilum Alexandrinū, Ecclesiam ait non habere maculam, *aut rugam, quia Deus largiatur ei gratiam, vt integrum, inquit, & purum corpus cōseruetur, & in nullo hæreticorum venena præualeant. Et beatus Augustinus libro 3. contra epistolam Parmeniani, cùm in vnitate Ecclesiæ sunt scelesti, & flagitiosi, vt Cypriani temporibus, tunc ait Ecclesiam gloriosam sine macula & ruga in illis solis computari, qui sine disiunctione corporali ex seipsis, sicut Apostolus præcipit, *auferunt malum, & in voluntatis ac cordis separatione perseuerant. Deniqꝫ Clemens Romanus in secundo libro const. Apost. in persona Apostolorum: Vos, inquit, estis membra sancta, & Ecclesia nō habens *maculam, aut rugam, aut aliud huiusmodi, sed tanquā immaculati, & sancti in fide perfecti. Hactenus Clemens.

*Ephes. 5. *Ibid. *1. Cor. 5. *Ephes. 5.

Lutherani ergo & Caluiniani huiusmodi Ecclesiam, quæ est sancta & immaculata, non habent. In ea enim quam habēt, versantur ijdem ipsi Lutherani & Caluiniani, & aliæ sectæ, vt quisqꝫ sicut Apostolus ait * vento doctrinæ circumfertur: & alij alios inter se pro hereticis habent & appellant. Qui cùm idipsum *in Christo, neqꝫ dicant, neqꝫ sapiant, neqꝫ in eadē regula, *ad quam prius venerant, sicut eis à sanctis Apostolis, & eorū successoribus traditum erat,

*Ephes. 4. *Philip. 2. *Philip. 3.

per-

permaneant, clara voce testantur, non habere se Ecclesiam sanctam, id est, in fide perfectam. Restat igitur, vt ea quam habent, sit spelunca * latronum, * Matth. 21.
massa fermento corrupta, ouile scabiosum, schola pestilentiæ, & in ministerio sacramentorum vt muscæ mortuæ in compositione vnguenti, sicut ait * Salomon. * Eccles. 10.
Quòd si Ecclesiam non habent, rursus consequens est, vt neque iudices Ecclesiæ habeant. Sed dimittamus nunc istorum falsam Ecclesiam, de qua plura à me in dogmaticis characteribus verbi Dei scripta sunt. Redeamus ad nostræ Ecclesiæ iudices & cõsiliarios, de quibus Isaias prophetat, inquiens, Præficiam iudices tuos sicut prius, & consiliarios tu- »
os sicut à principio: comparemusque eos cum priori- »
bus illis iudicibus.

Quomodo veteres iudices vocarentur à Deo & non à populo. Et de collatione vocationis eorum, cum vocatione Iudicum Ecclesiasticorum. De Othoniele primo iudice, & de Gedeone. De Caluini interpretatione falsa verbi χειροτονεῖν. De signo legitimæ vocationis ministrorum Ecclesiæ. De eo quod dixit Gedeon: Quod me facere videritis, hoc facite, collato cum eo quod præcipit B. Petrus Episcopis qui sunt iudices Ecclesiarum. Et quid sit, non dominari in cleris. Quomodo apud Lutheranos & Caluinianos non sit impleta prophetia Isaiæ de iudicibus Ecclesiasticis, vt quidem est apud nos. Quomodo apud Lutheranos iam 40. annis sit anarchia, sicut fuit post mortem Samsonis item 40. annis. Et quòd ex anarchia Ecclesiastica proficiscatur tanta apud eos varietas. Et quomodo magistratus Lutheranorum qui ministros vocat, sit similis Michæ Ephratæi, & populus similis tribus Beniamin. Et quomodo illis nostris temporibus euenit, quod olim Beniaminitis.

CAPVT XII.

Age

AGe ergo consideremus paulò diligentius priorum Iudicum, quos Propheta dicit, vocationes, vt legitimos & Euangelicos iudices qui pro illis successerunt, agnoscamus: vt veris agnitis, falsos item ex comparatione dignoscamus. Primus igitur

Iud. 1. „ iudex fuit Othoniel, de quo sic scriptum est,* Et clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos. fuitque in eo spiritus Domini, & iudicauit Israël. Spiritum Domini vocauit potestatem, quam dedit ei Dominus ad iudicandum & liberandum populum. Sic in Episcopis nostris est spiritus Domini, ad liberandum à peccatis. Ipsis enim

Ioan. 20. dixit in Apostolis, * Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quæ sequuntur. Hi eos, qui in Ecclesia sunt, iudicant, qui

Gal. 6. sunt Israël Dei, sicut Apostolus ait, Nam eos qui

1. Cor. 5. foris sunt, Deus, inquit,* iudicabit. Item de Gedeon

Iud. 6. „ scriptum est,* dictum esse ei à Deo, vade in hac fortitudine, id est, in hac potestate, quam dedi tibi, & liberabis Israël de manu Madian: ecce misi te. Et Domi-

Luc. 10. nus discipulis,* Ecce inquit, mitto vos. Et posthæc misit alios 72. Et Episcopo dicitur post impositionem manuum Presbyterij, Vade scilicet, in hac potestate tibi tradita: prædica populo tibi cõmisso: quod perinde est, ac si diceretur ei à Deo, Ego misi te, vade ergo ea potestate fretus, quam tibi non secundùm legem hominum, sed secundùm legem meam tibi dedi. At Lutheranorum & Caluinianorum iudices, quos Superintendentes vocant, non Dei, sed magistratus aut populi auctoritas, secundùm legem suam mittit. Deinde Gedeon, vt populus Israël non dubitaret de potestate eius, id est, quòd à Deo esset vocatus ad iu-

dicandum

dicandum populum, petijt ab eo signum, quo videlicet populum faceret de sua vocatione certiorem. Annuit Deus, concessitq; postulatum. Signum verò fuit, quo ostendit * placuisse sibi sacrificium factum. Similiter iudices Ecclesiæ nostræ quòd à Deo eligātur, signum est, & quidem diuinum, quòd per manuum impositionem, sicut à Deo per sanctos Apostolos nobis traditum est, cum orationibus, & sacrificio, ac ieiunio ordinātur, idq; in conspectu Ecclesiæ, ne vllus dubitare possit. Quòd si Lutherāi & Caluiniani dicant, vt quidem dicturi sunt, à Deo item vocari, ac mitti ministros suos: rursus nos quæramus ab eis, An dedit Deus legē aliquā siue ꝑ se, siue ꝑ sanctos Apostolos de eligendis per populum ijs, quos consiliarios ecclesiasticos, ministros, & Superintendentes vocant: hoc enim nouo & inusitato verbo, nouos & inauditos suos, adulterinosq; Episcopos, vocant. At dedit, inquiunt: vbi? quando? Respondet eorum propheta Caluinus, Cùm Paulus & Barnabas per singulas Ecclesias * Lystræ, Iconij, & Antiochiæ cum ieiunijs & orationibus Presbyteros ἐχειροτόνησαν, id est, cum suffragio populi ad eos creandos collegerūt. Sic enim homo audacissimus, ac vanissimus, & linguæ Grecæ imperitissimus interpretatus est verbum χειροτονεῖν, cùm potius significet, vel grammaticorum omnium testimonio, ipsos suo scilicet ministerio & auctoritate Dei, Presbyteros ordinasse: de populo nulla hîc mentio, præter Caluini somnium. Vocationis ergo Episcoporum nostrorum legitimæ, id est, à Deo factæ, signum est lex Dei, qua ordinantur, quæ sancita est in ordinatione Timothei, & in ordinatione Pauli & Barnabæ, quæ per manuū impositionem

* Iud. 6.

* Actor. 14.

ab Episcopis cum ieiunio & orationibus facta est. De qua plura libro superiore dixi. Hanc legem vsque in hodiernum diem seruat Ecclesia Romana in cunctis Ecclesijs catholicorum. Hac lege qui ordinatur, signum habet Dei tum ipse, tum populus, cui ordinatur, signũ inquã, quòd dominus miserit eum. Cæ-
*Ioan. 10. teri omnes à domino *fures dicuntur & latrones, ac
*Iud. 9. sunt tyranni * Abimelechiadæ. Iam quod idem Ge-
*Iud. 7. deon * dixit trecentis illis lampadiferis, cùm vellet „ in castra Madianitarum irruere, Quod me facere videritis, hoc facite: & quod fecero, sectamini, mirabiliter congruit cum eo, quod beatus Petrus princeps Apostolorum iudicibus ecclesiarum, id est, Episcopis præcepit, eorũ enim est iudicare. Pascite, inquit,
*1. Pet. 5. *gregem qui in vobis est, non coactè, sed spontaneè, non tanquam dominantes in cleris, sed forma gregis facti. Explicauit, qua ratione & via, hoc Episcopus assequi possit, vt pascat non tanquam dominans in clero, cuius caput est, sicut ait Clemens, neque tanquã dominans in populo, cuius est princeps, nempe si quod alijs facere præcipit, ipse prius exemplo Gede-
Iud. 7. onis faciat, quod est fieri formam gregis.

*Iud. 9. „ Rursus inquit, *Dixerunt omnes filij Israël ad Gedeon, Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filij tui, quia liberasti nos de manu Madian, quibus ille ait, Non dominabor vestri: neque dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur Dominus. Scilicet volebat populus Israël suis suffragijs et auctoritate, potestatem dominandi Gedeoni, & filio, ac nepoti pro beneficio liberationis deferre more aliarum gentiũ, quæ se non rarò in potestatem benè de se meritorum

tradere solent. At Gedeon, qui sciebat illo tempore iudices populi Israël non à populo vocari, sed à Deo, vt ipse idem Gedeon vocatus fuerat, repudiauit fauorem populi oblatum, inquiens, Non dominabor » vestri: neq; dominabitur in vos filius meus, sed do- » minabitur dominus. Hoc ipsum prohibuit beatus » Petrus iudicibus Ecclesiæ, qui sunt Episcopi, eodem etiam verbo vtens. Neq; vt dominantes,* inquit, in *1. Pet. 5. cleris. Et Dominus in Euangelio cùm docere vellet discipulos modestiam, & illud, quod Paulus Philippensibus * præcepit, superiores se ipsis inuicem *Philip. 2. arbitrari, Reges, inquit,* gentium dominantur eorũ, *Matth. 20 & qui potestatem habent inter eos, benefici vocantur, vos autem non sic: & quæ sequuntur. Superintendentes verò Lutheranorum & Caluinianorum, cùm ad ministerium verbi & sacramentorum siue à magistratu, siue à senatu, siue à populo vocentur, vt solent gentium potestates: efficitur, vt nõ sint in Ecclesia eorum falsa iudices à Deo electi, sicut prius: ac proinde non sit Ecclesia noui testamenti, quam habent, siquidem quod Isaias * de iudicibus noui *Isa. 1. testamenti prophetauit, nondum sit in eorum Ecclesia impletum.

Cùm ergo Lutherani & Caluiniani non habeant iudices in Ecclesia sua, quales fuerũt prius in Israël, à Deo & nõ à populo vocati, quorum studium erat, ne ab hostibus, aut à seipsis mutuo noceretur, hoc est enim proprium iudicis, neq; habeant vnum iudicem summum Ecclesiæ catholicæ, relinquitur, vt sit apud eos iam 40. annis anarchia, qualis illa mortuo Samsone iudice item annis 40. de qua scriptum est,* In » *Iud. 17. diebus illis non erat rex in Israël, sed vnusquisque »

» quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat, id est, quicquid mali libebat. Id autem notauit illius sacræ historiæ scriptor, vt causam diceret tũ idololatriæ, quã » statim subiungit, Michæ Ephratæi, qui fecit, inquit, » Ephod, & Theraphim, id est, vestem sacerdotalem, & » idola, & impleuit vnius filiorum suorum manum, » & factus est ei sacerdos: tum illius nefandæ libidinis ac stupri incesti, quod Beniaminitæ vxori Leuitæ* intulerunt, vnde secutus est, vnius tribus interitus. Sic apud Lutheranos quia est anarchia, id est, quia non est illis rex sacrorũ, qui est summus Pont. vnusquisq;, quæcunq; hæresis ei placet, hãc suscipit & tenet, ac profitetur. Idcirco magistratus, aut populus more Michæ Ephratæi * implet manus suorum filiorum, id est, laicos ad ministerium sacerdotij, hoc est, verbi & sacramentorum, & ecclesiastici iudicij vocant. Sic noui Beniaminitæ Ecclesiam catholicam, quæ est vxor casta ac sancta Episcoporũ, impiè violant. Quamobrem sicut de illis scriptum est, * Percussit illos dominus in conspectu filiorum Israël, sic nostris temporibus nouos Beniaminitas percussit dominus in conspectu catholici exercitus. Quibus cùm diceretur, sicut ait scriptura, Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Israël. Noluerunt, inquit, fratrum suorum filiorum Israël audire mandatum: sed ex cunctis vrbibus, quæ sortis suæ erant, conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuersum populum Israël dimicarent.

*Iud. 19. et 20.

*Iud. 17.

*Iud. 20.

Quomodo vocatio & electio ministrorum Lutheranorum similis sit electioni non Gedeonis à Deo vocati, sed Abimelech filij eius à populo creati, & quid ei euenerit, quod quotidie Lutheranis eueniat. Et de tota illa parabola Ionathe filij Gedeonis ad Lutheranos accommodata. Et de mutuo interitu Abimelech Sichimitarum translato ad iudices Lutheranorum, & Lutheranos ipsos à se ipsis vicißim intereuntes.

CAPVT XIII.

Sed quid intersit inter iudices Ecclesiæ, qui præficiuntur à Deo, sicut prius iuxta propheticum sermonem, & inter eos, qui non præficiuntur. Gedeon & filius eius Abimelech contrarijs exemplis docuerunt. Pater enim secundùm potestatem à Deo tributam populum liberauit: quia dominus dominabatur in eo, & iudicabat, sicut idem dixit populo, *Non dominabor vestri, neq; dominabitur in vos *Iud. 9.* filius meus, sed dominabitur dominus: filius verò & se, & populum perdidit. Sed videamus, quomodo, & qua causa, & quemadmodum vocatio & electio ministrorum apud Lutheranos & Caluinianos similis sit electioni non Gedeonis à Deo vocati, sed Abimelech *filij eius à populo creati: & quid ei euenerit, *Ibid.* quod ipsum quotidie Lutheranis eueniat, & plenius adhuc euenturum sit. Igitur Abimelech non expectauit, vt à Deo vocaretur: neq; fidem & obedientiam voluit patri adhibere, qui dixerat, Non dominabor vobis, neque filius meus dominabitur vobis, quin potius septuaginta fratribus primùm per blanditias deceptis, deinde conducto exercitu crudeliter interfectis, factus est à Sichimitis rex eo tempore, cum Deus iudices, qui populum suũ regerent,

ſuſcitare ſolebat. Quod cum nunciatum eſſet Ionathan filio Gedeonis minimo, qui ſolus remanſerat, Stetit, inquit, in vertice montis Garizin, eleuataq; voce clamauit, Audite me viri Sichen, ita vt audiat vos dominus. Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem, dixeruntq; oliuæ, Impera nobis: quæ reſpondit, Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dij vtuntur & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixerunt ligna ad arborem ficum, Veni, & ſuper nos regnum accipe: quæ reſpondit eis, Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructusq; ſuauiſsimos, & ire vt inter cætera ligna promouear? Locutaq; ſunt ligna ad vitem. Veni, & impera nobis: quæ reſpondit, Nunquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter ligna cætera promoueri? Dixeruntq; omnia ligna ad rhamnum, Veni, & impera ſuper nos: quæ dixit, Si verè me regem vobis conſtituiſtis, venite, & ſub vmbra mea requieſcite: ſin autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani. Deinde ſubiungit. Nunc igitur ſi rectè, & abſq; peccato conſtituiſtis ſuper vos regem Abimelech, & benè egiſtis cum Ierobaal, & cum domo eius, & reddidiſtis vicem beneficijs eius, qui pugnauit pro vobis, & animam ſuam dedit periculis, vt erueret vos de manu Madian, qui nunc ſurrexiſtis contra domum patris mei, & interfeciſtis filios eius ſeptuaginta viros ſuper vnum lapidem, & cōſtituiſtis regem Abimelech filium ancillæ eius ſuper habitatores Sichen, eo quòd frater veſter ſit: ſi ergo rectè, & abſq; vitio egiſtis cum Ierobaal & domo eius, hodie lætemini in Abimelech, & ille læ-

tetur

tetur in vobis: sin autem peruersè, egrediatur ignis »
ex eo, & consumat viros ex Sichē, & oppidum Mel- »
lo: egrediaturque ignis de viris Sichen, & de oppido »
Mello, & deuoret Abimelech. Vtrumque autem eue- »
nit, si quidem mille Sichimitas tum viros, tum fœminas igne & fumo interfecit Abimelech: & idem postea fragmento molæ capiti eius à muliere illiso, ab armigero suo interfici voluit. Ita factum est, vt sicut sacra historia narrat, redderet Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis. Sichimitis » Iud. 9.
quoque retributum est, inquit, quod operati erant: »
& venit super eos maledictio Ioathan filij Iero- »
baal. »

An non est in hac parabola, & in hac historia Lutheranorum, id est, nouorum Sichimitarum expressa imago? immò maximè. Hi enim sunt, qui suos Ecclesiasticos iudices (siue consiliarios vocent, siue ministros, siue Superintendentes) auctoritate magistratus vel principis secularis constituunt, qui nolunt in Ecclesia sua iudices, qui iuxta parabolam Ionathæ, tanquam oleæ quædam, possint facere eos socios pinguedinis, id est, pietatis ac bonorum operum, qui tanquam ficus quidam spirituales, saniem peccatorum per pœnitentiam eliciant, & instar vini habentis vim ἀναζωτικὴν, velut à mortuis excitent: sed eos potius volunt, qui sint velut arbores rhamni, id est, spinosi, & nihil fructus ferentes, ad ignem tantùm vtiles. Dicamus ergo istis, id quod Ioathan Sichimitis, Si rectè ô Lutherani & Caluiniani, & absque peccato constituistis vobis iudices, consiliarios dico ve-

stros,

ſtros,& miniſtros,ac Superintendentes,& beneegiſtis cum vero Ierobaal, qui eſt Chriſtus, qui aram
Ioan. 10. Baal ſubuertit,qui animam ſuam poſuit pro vobis;
Iud. 9. vt erueret vos de manu ſpiritualis Madian,qui eſt
*Apoc. 12. diabolus iniquus iudex,& idem accuſator * fratrum noſtrorum,qui nunc ſurrexiſtis contra domum patris noſtri,quæ eſt Eccleſia catholica, & interfeciſtis fratres veſtros, eos dico, quos veſtro exemplo ad mortem traxiſtis,ſuper vnum lapidem,qui eſt Chri-
*Matth. 21. ſtus lapis conterens*eum, ſuper quem ceciderit: &
& Luc. 20. conſtituiſtis Abimelech filium ancillæ* eius ſuper
*Iud. 9. Sichimitas: qui conſtituiſtis (inquam) Abimelechos, id eſt, patres veſtros iuxta interpretationem vocabuli Abimelech Eccleſiæ veſtræ præpoſitos,ac gubernatores,& iudices,qui defecerunt à matre ſua libera,quæ eſt Eccleſia catholica;& quaſi non pepeiſſet eos Eccleſia catholica, cuius baptiſmum acceperũt,& quaſi eſſent filij ancillæ,ſicut Iudæi, ita perſequuntur filios ſecundùm ſpiritum. Sed filius an-
*Gal. 4. cillæ,*aut ſimilis filio ancillæ,non erit hæres cum filio liberæ:ſi ergo rectè,& abſq; vitio hæc egiſtis, lætamini cum Abimelech, cum veſtris dico patribus ſpiritualibus;& illi rurſus lætentur in vobis. Sin autem peruerſè, egrediatur ignis ex eis, & conſumat vos,& viciſsim egrediatur ignis ex vobis, & conſumat illos. Atq; vtinam non veniſſet iam pridem ſuper vos, & adhuc veniret hæc maledictio. Meliora
Heb. 6. enim & viciniora ſaluti, ſicut Apoſtolus ait, vobis optamus, quos iniecto metu velut ex igne raptos, ſeruare deſideramus. Sed videamus, quomodo venit ſuper vos iſta maledictio. Scilicet vt ille Abime-
*Iud. 9. lech *mille Sichimitas igne & fumo deleuit, ſic ve-

ſtri

ſtri Amalechiadæ, quos conſiliarios ac iudices, & miniſtros ſpirituales conſtituiſtis, illa ſua peruerſa, & lachrymabili diſciplina vaniſſima ceu fumo quodam vos excæcarunt, & linguæ ſuæ blaſphemæ igne incenderunt & inflammarunt: & à vobis rurſus ignis egreditur, qui illos deuorat. Vt enim illorum diſciplinam ſequamini, teſtimonia producunt, quibus redarguantur, & veluti ſuis telis tranſuerberentur. Vt exempli cauſa, cùm volunt electiones miniſtrorum & Superintendentium, quæ politica auctoritate apud eos fiunt, defendere, producunt Paulum & Barnabam, qui conſtituerunt Presbyteros * per ſingulas Eccleſias Lyſtræ, Iconij & Antiochiæ: & illud, * Reliqui te Cretæ, vt conſtituas Preſbyteros per ciuitates: quibus locis ſcripturæ, vt cæteros nunc omittam, tanquam gladio armigeri * ſui confodiuntur, atque hoc quidem pati malunt, quàm venire ad Eccleſiæ noſtræ iudicium, & ab ea damnari: quæ iam illis anathema impegit, quod eſt inſtar fragmenti mole, quod illa mulier capiti Abimelech illiſit. Fuit itaque horum interitus in illo interitu Abimelech, tanquam in figura, expreſſus. Vna, inquit, * mulier fragmentum molę illiſit Abimelech, & confregit caput eius: qui vocauit armigerum ſuum, & ait, Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus ſum: qui iuſſa perficiens, interfecit eum. An poteſtis hic calumniari? an figuram fortè eludere? An dicetis, verius iſta in nos competere? ſumus ne nos, quos populus humana auctoritate eligat, vt Sichimitæ illi Abimelech elegerunt? Sumus ne nos, qui iudicium Eccleſiæ declinemus? At dicetis, vt populus

* Actor. 14.
* Tit. 1.
* Iud. 9.
* Ibid.

& solenni, ac stato tempore, & in tẽplo, quo omnes conueniunt, fiunt ordinationes, ne lateat ordinatio: & si quid sit, quod ordinare vetet, vt prodi possit ab eo, qui sciat. Immò etiã iussu Episcopi edicit diacon⁹ vt si quis habeat aliquid, quod obijciendũ putet, obijciat. Quis iam non intelligit, hoc esse quod beatus Cyprianus ait, plebe præsente sub omnium oculis deligi, vt dignus atque idoneus publico iudicio atque testimonio comprobetur? Hoc ergo est quod ex diuina auctoritate descendit: quod Apostolus quoque de eo, qui ordinandus est sacerdos, oportere ait, * vt habeat bonum testimonium etiam ab ijs, qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat & laqueum diaboli. Quod perinde est quasi dicat, oportere, vt habeat bonum testimonium non solùm à fratribus, ad quorum consummationem in opus * ministerij ad ædificationem corporis Christi ordinatur, sed etiam ab ijs, qui foris sunt, ne blasphemetur * inter gentes nomen Dei propter eum: id quod studet & machinatur diabolus: hoc est enim incidere in opprobrium & laqueum diaboli. In Ecclesia itaque nostra non facit populus sacerdotes suos, neque suos creat patres, sed accipit creatos à Deo, contrà atque Lutherani, qui vt Sichimitæ * illi Abimelechem, sic ipsi suos Abimeleches, id est, patres suos (Abimelech enim patrem meum declarat) creant, quod est portenti instar, & contra canonem Cypriani, quem iactant, quem auctores Centuriarum Ecclesiasticæ historiæ non malè inter canones Apostolorum in Centuria prima retulerunt: vtinam tam benè intellexissent, vt secundùm eum, docerent, neque

* 1. Tim. 3.
* Eph. 4.
* Rom. 2.
* Iud. 9.

populum, neque magistratus, neque principes seculi ecclesiasticas potestates creare, & ad ministerium verbi & sacramentorum vocare. Harum enim vocatio, creatio diuina est, non humana, vt est potestatis secularis creatio, de qua beatus Petrus dixit, *Subiecti estote omni humanæ creationi, siue vt vetus interpres vertit, creaturæ. Subiungit deinde potestates humanæ creationis: Siue, inquit, regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. Ac Cyprianus quidem, quem Lutherani aduersus nos producunt, clarè docuit vocationem & creationem sacerdotum diuinam esse, neque nisi à potestate ecclesiastica fieri. Sic enim ait; In Numeris Mosi præcepit Dominus, dicens, * Prehende „ Aaron fratrem tuum, & Eleazar filium eius; & im„ pones eos in monte coram omni synagoga; & exue „ Aaron stolam eius, & indue Eleazarum filium e„ ius, & Aaron appositus moriatur illic. Deinde subiungit Cyprianus, Coram omni synagoga iubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere. At Moses non ad politiam secularem, sed ad hierarchiam legis pertinebat, quippe qui, vt diuinus Dionysius in ecclesiastica hierarchia scribit, primus mystes, id est, magister ac dux hierarcharũ legis fuit. Is etiam erat populo iuxta consilium Iethro* in ijs, quæ ad Deum pertinebant, vt ostenderet ei cærimonias, & cultum Dei, & viam, per quam ingredi deberent. Non igitur ad principes laicos, sed ad principes Ecclesiasticæ hierarchiæ, cuius illa vetus Mosaica vmbra fuit, pertinet sacerdotes creare conuocata plebe, ne

*1. Pet. 2.

*Num. 20.

*Exod. 18.

be, ne quis (inquit Cyprianus) ad altaris ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Hæc est iusta & legitima ordinatio, & quæ Deo placet, fatemur. Illa enim (inquit idem Cyprianus) quæ non veniunt ex legitima ac iusta ordinatione, displicent Deo. Quod ipse, inquit, Deus manifestat per Oseam prophetam dicens, *Sibimet ipsi regem constituerunt, & non per me. Hoc dicit Propheta de Ieroboam, qui tametsi non fuit iustè ac legitimè factus rex, neq; Deo annuente, vt ait beatus Cyrillus, fuit tamen rex: fuitq; eius potestas regalis à Deo concessa & permissa secundùm legem hominum. Vnde dominus, A me, inquit, *factum est hoc verbum. Et Salomoni post idololatriam dixit, * Scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.

*Osee. 8.
*3. Reg. 12.
*3. Reg. 11.

Quarè vel ex hoc exemplo, quòd beatus Cyprianus commemorauit hic, intelligere debuerunt Lutherani & Caluiniani, similiter ordinationes sacerdotum sine consensu plebis expresso, aut tacito, non irritas esse, vt ipsi falsò tradunt, tametsi fideli plebe repugnante Deo displiceant, vt vel ex canone Apostolorum trigesimo sexto intelligere licet, quo cautum est, vt si quis factus Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, non fuerit à populo admissus, idq; nō sua culpa, sed populi vitio, sit ille quidem Episcopus, Presbyter, aut diaconus, clerici verò illius Ecclesiæ excommunicentur, quia non fuerunt, inquit, correctores populi inobedientis. Non igitur ex assensu populi pendet rata ordinationis auctoritas. Quemadmodum enim ex populi assensu pendeat, qui non potest propriè eligere, id est, dare electione

sua potestatem electo. Sicut Canone 13. Laodicēsis Conc. decretū est, ne turbis electiones facere permittatur. Quem Canonem malè Caluinus in suis Instit. C. 8 art 63. interpretatus est, idcirco sancitum esse, quòd raro, inquit, eueniat, vt tot capita vno sensu
» rem aliquam benè componant. Verùm huic peri-
» culo, inquit, adhibitum erat optimum remedium.
» Primum enim soli clerici eligebāt: quem elegerant,
» offerebant magistratui, vel senatui, ac primoribus:
» illi habita deliberatione, electionem, si iusta vide-
» batur, consignabant: Sin minus, eligebant alium,
» quem magis probarent: tum ad multitudinem res
» deferebatur. Deinde subiungit, Quæ tametsi præ-
» iudicijs illis non alligaretur, minus tamen tumul-
» tuari poterat. Sic igitur intellexit Caluinus, vetari multitudinem à Concilio Laodicensi, ne Ecclesiasticos ministros eligat, non quidem quia non possit, sed quia non sine tumultu facere soleat: Itaque electiones ministrorum Ecclesiasticorum, & à magistratibus confirmari, & populo non approbante irritas fieri. Quam sententiam non aduertit iste magister & dux cæcorum Caluinus, satis vel illis ipsis scripturis refelli, quas beatus martyr Cyprianus in illa ipsa Epistola tertia libri primi recitat, quam idem Caluinus pro testimonio sententiæ suæ producit: vt nos paulò antè demonstrauimus. Hoc ergo, quod Synodus Laodicensis decreuit, prauè ab istis expositum, clarissimè alia Synodus Braccharensis sub beato Martino Episcopo Braccharensi confirmauit. Non licet, inquit, populo electionem facere eorum, qui ad sacerdotium promouentur: sed in iudicio Episcoporum est, vt eum, qui ordinan-

dinandus est, probent, si in sermone, & fide, & vita spirituali edoctus sit. Multa alia in eandem sententiam relata sunt à Gratiano inter decreta dist. 63. quæ breuitatis causa prætermittenda esse iudicaui.

Illa tamen non prætermittam, quæ Clemens Romanus in persona Apostolorum libro 8. postquam de legitimis ac canonicis ordinationibus disseruit, aduersus eos scripsit, qui audent Ecclesiasticos ordines ac gradus sine auctoritate Dei constituere. Interpretabor latinè, Sed quia, inquit, plerique negligenter hoc curandum esse putauerunt, & ordinem confundere, ac ordinationem cuiusque mouere, ac mutare non dubitant, honores non collatos dignitatesque vsurpando, sibique per vim potestatem sumendo, ea dandi aliis, quæ dare ipsi non possunt: ex quo fit, vt Deum irritent, sicut Coritæ,* & Ozias,* qui *Num. 16.
præter dignitatem, ac sine auctoritate Dei in ponti- *2. Paral. 26.
ficatum inuaserunt, ex quibus illi quidem igni arserunt, hic vero lepra in fronte affectus est, irritēt præterea Christum IESVM, qui hæc disposuit ac constituit, ac etiam contristent Spiritum sanctum, cuius testimonio auctoritatem derogant: Idcirco ratio & necessitas postulat, vt de hoc moneamus, quippe qui iis, qui talia committunt, periculum impendere præuideamus: negligi etiam sacrificia & gratiarum actiones, quòd ab illis adhibeantur, à quibus fas nō est, qui ludicrum iocularemque putant honorem, dignitatemque pontificalem, quæ quidem imitationem habet magni pontificis IESV Christi regis nostri. Iam enim nonnulli de recta deflexi, vanitatem suam sequuntur.

Hæc

Hæc Clemens, quæ in Lutheranos ac Caluinianos iure & meritò conueniunt. Hi enim sacerdotes, ac iudices Synagogæ suæ, suos inquam, Abimeleches, sine auctoritate Dei vocant ac ordinant. Hi cùm ad se pontificatũ, vt noui Coritæ, rapiũt, Christum irritant, qui per Apostolos suos Ecclesiasticam hierarchiam diuino ordine disposuit: hi Spiritus sancti testimonium improbant, quod filio Dei per-
*Matth. 17. hibuit, cùm vox paterna * Spiritu sancto teste illum
Deut. 18. audire iussit, sicut Moses prophetauerat: sacrificia & diuinas precationes cõtemnunt, cùm ab illis hæc administrari iubent, à quibus non licet: Hi dignitatem ipsam sacerdotij, quæ Christum sacerdotem ma-
Heb. 10. gnum super domum Dei, sicut Apostolus ait, repræsentat, pro ludo & ioco habẽt, quibus iudicium,
*2. Pet. 2. sicut scriptum est, *iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Ex his ergo, quæ Clemens Rom. in persona Apostolorum secundùm propheticum sermonem & Christi institutionem scripsit, extitit ille Canon Apostolorum 31. Si quis Episcopus opera magistratus secularis Ecclesiam obtinuerit, deponatur, & excommunicetur. Hinc quoq; fluxit anathematismus Synodi Tridentinæ in Sacramẽto Ordinis. Si quis, inquit, dixerit, ordines ab Episcopis collatos, sine populi vel potestatis secularis consensu aut vocatione, irritos esse, aut eos, qui neq; ab Ecclesiastica & canonica potestate ritè ordinati, neq; missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & sacramentorum ministros, anathema sit.

De

De Debora prophetide, an iudex fuerit ex ijs quos Isaias dixit: Praeficiam iudices tuos sicut prius. Et quid Lutheranis, si eam obiecerint nobis, respondendum sit. Et quid de mulieribus, quòd docere eis non liceat, Clemens scripserit: & quomodo, & ad quid Abbatissa praeficiatur monasterio.

CAPVT XV.

SEd quia hactenus demonstratum est, iudices Ecclesiæ, qui sunt Episcopi, eorum .n. est propriè & inprimis iudicare in Ecclesia, nō à populo, sed à Deo iuxta propheticum sermonem vocari, mirer, si ij, aduersus quos scribimus, non statim more suo nobis obijciendam putent Deboram * mulierē, quam scriptura sancta iudicē vocat. Quid igit, inquient, etiám ne mulieres Ecclesiæ præficimus, quia Debora populū prius iudicauit, sicut dicit propheticus sermo, * Præficiam iudices tuos sicut prius? Apage, immò Lutheranorum est hoc, qui aliud sacerdotium non confitentur, prætero sacerdotium ex baptismo mulierum quoq; commune: Nos verò, qui sacerdotium ex ordinatione hierarchica habemus, non præficimus mulieres, quæ neq; docere possunt in Ecclesia, quod est sacerdotum, id est, Episcoporum & Presbyterorum, sicut Apostolus ait, * Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Vnde Clemens in persona Apostolorum libro 3. const. Apost. Mulieribus, inquit, vt in Ecclesia doceant, non permittimus, sed tātum vt precationes faciant, & audiant doctores. Noster enim magister ac dominus IESVS Christus cùm nos duodecim ad docendum populum, & gentes misit, nusq; mulieres ad prædicandum misit, tametsi nō

* Iud. 4.
* Isai. 1.
* 1. Cor. 14.

decrant: erat enim nobiscum mater Domini, & sorores eius: Deinde Maria Magdalena, & Maria Iacobi, ac Martha, & Maria soror Lazari, & Salome, atque aliæ quædam. Sanè quidem si necesse fuisset, vt mulieres docerent, ipse primus ijs ipsis quoque mulieribus, quæ nobiscum erant, populum erudire præcepisset. Etenim si vir caput * est mulieris, non est æquum, reliquum corpus capiti præesse. Hactenus Clemens. Hinc effectum est, vt cùm Abbatissa monasterio virginum sacrarum præficitur, non ei dicatur, sicut Abbati dici solet, Accipe plenam & liberam potestatem regendi hoc monasterium, sed sic, Accipe regulam ad custodiendum & regendum gregem tibi commissum: quod perinde est quasi diceretur illi, Pasce oues tibi commissas, non docendo, sed secundùm hanc regulam gubernando. Non enim mulieri simpliciter & omnino, committi potest tanquam pastori animarum cura: sicuti etiam Chrysostomus libro 2. de sacerdotio sensit. Sic igitur Debora * non fuit à Deo vocata, vt propriè iudex populi esset: sed vt esset primùm prophetis, & secundùm gratiam prophetiæ iudicium Domini denunciaret: sicut Daniel * cùm iudices illos iniquos populi Israël iudicauit. Idcirco sic scriptum est, * Erat autem » Debora prophetis vxor Lapidoth, quæ iudicabat » populum in illo tempore. Non enim temerè dictum » est prius, Erat Debora prophetis. Hæc autem Debora, vt statim subiungit scriptura, misit vocatum Barac, filium Abinoen, eique secundùm gratiam prophetiæ dixit, Præcepit tibi dominus Israël, Vade & duc exercitum in montem, & quæ sequuntur. Hic igitur

* 1. Cor. 11.
* Iud. 4.
* Dani. 13.
* Iud. 4.

Igitur Barac vocatus est à Domino per Deboram prophetidem, vt esset iudex.

Quòd Consiliarij, quos Isaias prophetauit futuros esse in nouo Testamento, Presbyteri sint: & unde id constet: & de sacerdotibus ante legem quæ eorum ratio esset. Cur Melchisedec dictus sit sacerdos, ex Dionysio Areop. & quòd eiusmodi sacerdotes fuerint Abel, Seth, Enos, Noë, Iob: Et quomodo ante legem fierent sacerdotes, liceretque omnibus sacrificare, ex Clemente & S. Anacleto: & quomodo non uocarentur à populo, sed à lege naturæ excitarentur ad rectè sacrificandum, & qua lege naturæ. Item de Abel sacerdote: & quare Deus ad sacrificium Cain non respexit: Et quid esset non rectè diuidere: Et quid illud sit, Ad te conuersio eius, ex interpretatione Theodori Antiocheni, & Basilij Seleuciæ collato loco simili Oseæ prophetæ.

CAPVT XVI.

SED quoniam satis hactenus de iudicibus dictum est, tempus admonet, vt iam ad ea, quæ de consiliarijs sequuntur, pergamus: quos in eodem loco propheticus sermo Ecclesiæ noui testamenti promisit. Postquam enim dixit, * Præficiam iudices tuos sicut prius, subiungit statim, Et consiliarios tuos sicut à principio. Presbyteros intellexit, qui sunt consiliarij Episcopi. Sic enim eos Clemens Rom. vocauit libro 2. constit. Apostol. & beatus martyr Ignatius Presbyteros ait senatum Episcoporum esse, &, vt ita dicam, consistorium. Et in precatione à sanctis Apostolis tradita, quæ ad ordinationem Presbyterorum adhibetur, quæ posita est in libro 7. const. Apostol. qua vsque in

* Isai. 1.

 hodier-

hodiernum diem Ecclesia Græcorum vtitur, sic precatur Episcopus à Deo, vt repleat, quos ordinat Presbyteros, spiritu gratiæ & consilij ad opitulandum & gubernandum populum. Ac quia Presbyteri sunt consiliarij Episcopi, præcipit * Apostolus Episcopo, ne sit αὐθάδης, quod tunc assequitur, cùm consilium Presbyterorum suorum non detrectat, vt beatus Ignatius præcipit: superbi enim est & sibi placentis detrectare. Videamus igitur, quales consiliarij, id est, sacerdotes fuerunt à principio, hoc est, ante legem. Cùm enim propheticus sermo hæc duo, prius, & à principio, in eodem loco posuerit, & prius ad tempus legis, cùm fuerunt iudices, vt docuimus, retulerit: consentaneum est, vt illud, à principio, ad tempus, quod legem antecessit, pertineat: ex differentia enim verborum temporis, differentia temporis significatur. Etenim si vnum & idem tempus declarare voluisset, satis fuisset dicere, constituam iudices tuos, & consiliarios tuos sicut prius.

* Tit. 1.

Quæ verò ratio sacerdotij illius temporis esset, docet diuinus Dionysius in cœlesti hierarchia cap. 9. cùm ait, vocatum esse Melchisedec in vetere scriptura sacerdotem, vt intelligeremus, non solùm se totum ad Deum conuertisse, sed fuisse ducem aliorum tanquam sacerdotem, vt se totos ad Deum conuerterent. Huiusmodi sacerdotes fuerunt Abel, Seth, Enos, Noë, Melchisedec, Iob, vt Clemens Rom. libro 8. const. Apostol. cap. 5. testatur. Sic enim in persona Apostolorum docet precari Deum, cùm ordinatur Episcopus, vt dicatur, Deus, qui à principio sacerdotes prædefinisti, qui populo tuo præessent, in primis Abel, Seth, Enos,

Enoch,

Enoch, Noë, Melchiſedec & Iob, & quæ ſequūtur. Addidit ergo Propheta illud etiam, *Sicut à principio, quia vt ſub lege iudices non ex vna tribu, ſed ex alia, atq; alia eligebantur, & ante legem item non ex vno genere aut familia ſacerdotes fiebāt, ſed ex quacunq; : ſic in nouo Teſtamento optimi ex omni gente præcepto Domini ad ſacerdotium eliguntur, ſicut idem Clemens in perſona Apoſtolorum tradit libro 6. cap. 23. hoc tamen intereſt, quòd ante legem, vt idem ait cap. 20. omnibus permittebat Deus ſacerdotij munus ſacrificādo adminiſtrare, modò grato ac pio animo id facerent. Vt enim admoneret Deus, ſe non indigere frugibus, aut victimis, aut alia re, nemini iubebat ſacrificare. Si quis tamen vellet id piè ac beneuolè facere, permittebat, eratq; ei gratum. Itaq; Melchiſedec, Abel, Abraam, & alij deinceps, non iuſsi, inquit, ſed lege naturali excitati, ſponte ſua, ex grato animo ſacrificarunt. Cum lege naturali excitatos dicit, non illam ſignificat, quæ ſolùm ſecundùm potentiam naturæ inſita eſt, ſed illam, quæ gratiam Dei ſimul adiunctam habet, quæ eſt, principium boni operis. Vt hoc obiter aduerſus Pelagianos caueamus: ſic enim ſolet ſcriptura ſācta loqui, vt cùm ait Apoſtolus, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, facere. Hanc duplicem legem naturalem ſiue ſemē naturæ, diſtinxit Iuſtinus martyr in priore apologia. Hoc ipſum, quod Clemens, ſanctus quoq; Anacletus eum imitatus ac ſequutus, in 2. Epiſt. ſcripſit. Aaron, inquit, initium ſacerdotij fuit, licet ante legem Melchiſedec, Abraam & Iacob ſacrificarent. Sed hi ſpontanea

*Iſai. 1.

*Rom. 2.

re,& quemadmodum oporteat vnumquemq; rectè diuidere. Tu inquit,monache diuide,siue impartire quantum decet,cupiditati, iræ,& rationi:tibi verò diuidant diaconi,his sacerdotes, sacerdotibus verò Episcopi,Episcopis Apostoli & Apostolorum successores. Hoc ergo peccauit Cain, vt ait S. Irenæus lib.4.contra hæreses, quòd non rectè diuisit eam, quæ est ad proximum communionem,quia cum fraterno odio obtulit. Tunc enim,vt ait B. Aug.in lib. de ciuitate Dei.15.non rectè in sacrificando diuiditur,cùm nō discernuntur loca,tempora,vel res ipsæ, quæ offeruntur, vel qui offert,vel cui offertur,vel ijs quibus ad vescēdum distribuitur.Itaq; Cain nō dijudicauit,quo animo,scilicet maleuolo in fratrē,& ingrato in Deum,offerret:quippe qui nō ex meliorib. frugibus,agricola,vt decebat,offerret.Ita factū est,vt nec iræ,neq; cupiditati,quod debuit tribueret. Admonens autem Dominus,ne pergeret odio fratrem suum habere, subiungit, *Quiesce, ad te conuersio eius, tu dominaberis illius: sic enim est apud 70. Quod quidem perinde est, quasi diceret, quia malè obtulisti,ad te oblatio tua reuertetur, & tu dominaberis illius. Nec enim huiusmodi oblationes acceptę mihi sunt. Simile est illud Oseæ: *Panes eius erunt animæ eius: loquitur Propheta de sacrificijs Israël minimè gratis Deo. Sic enim Theodorus Antiochenus hunc locum Genesis in commentarijs Oseæ interpretatus est. Similiter interpretatus est Basilius Seleuciæ grauis & antiquus auctor in homilia de Cain & Abel: Ad te conuersio eius: Fruere, inquit, tua oblatione, ego sacrificium, quod me dedecore afficit,non admitto. Quiesce,ne addas peccato peccatum,

*Gen.4.

*Osee.9.

catum, id est, inuidiæ cædem. Hactenus ille. Peiores ergo sunt, quàm Caín, qui apud sectarios verbi & sacramentorum ministri sunt. Illi enim fas erat sacerdotio fungi & offerre, si cum pietate & grato animo in Deum, & caritate in fratrem offerret, at istis nullo modo nullaque ratione fas est, quia non liceat iam in nouo testamento, cuius typus fuit vetus, quod ante legem licebat, scilicet sponte sua sine sacerdotali auctoritate sacra Deo operari. Itaque ministri sectariorum cùm neque sub auctoritate sacerdotali sint, vt qui caput Ecclesiæ tollant, neque per eum cui auctoritas sacerdotalis consecrandi tradita est, sint à Deo vocati, ad se honorem sacerdotij profanè & sacrilegè rapiunt, cùm scriptum sit, *Neque quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Quod quidē nō tantùm propter externū sacerdotiū veteris legis dictum est, sed etiam propter externum nouæ legis sacerdotium, cuius exemplari & vmbræ, sicut Apostolus ait, *illud vetus deseruiebat. Vmbram enim habebat *lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Quare sicut tradit diuinus Dionysius, vt Moses Aaron fratrem consecrauit, Deus verò est, qui Mosen ad hoc excitauit, quique Aaron per ministerium Mosis elegit: sic qui in nouo Testamento sacerdotem consecrat, non sua propria gratia illum ad sacerdotium eligit, sed Deus per huius ministerium. Idque in mysterio significatur, vt idem Dionysius tradit, cùm Episcopus ordinatum clara voce renunciat, sic scilicet declarans suum quidem esse ministerium, gratiam verò electionis ac consecrationis esse Dei.

*Heb. 5.
*Heb. 8.
*Heb. 10.

De Seth sacerdote & Enos. Et quomodo scriptura significauerit fuisse eos sacerdotes præter auctoritatem Apostolicæ traditionis, ex qua idem didicimus auctore Clemente Romano.

CAPVT XVII.

VEniamus igitur ad Seth, qui fuit etiam sacerdos, vt Clemens testatur: quod ipsa scriptura sancta significare videtur, cùm ait, dixisse matrem, postquàm peperit eum,* Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, id est, qui succederet in locum Abelis, eiusq; mores imitaretur, ac esset sacerdos, vt ille fuit, non ab homine scilicet, sed à Deo vocatus & electus ad sacerdotium. Hic Abelis vitam imitatus, vt ait Basilius Seleuciæ, præmium virtutis tulit, vt filij eius filij Dei* vocarentur. Deinde subiungit idem Basilius, Itaque appellatio naturam superans, dignitatem eius prædicabat: filij verò Cain filij, inquit, hominum, naturę nomen dignitate nudum ferentes. Scribit diuinus Dionysius cap. 12. de diuinis nominibus, vocari deos solere in scriptura sancta eos, qui præstantioris ordinis sunt, per quos alij ordines inferiores munera Dei participent. Itaq; ipsum quoque Dei nomen satis sacerdotium Seth declarat, & sacerdotium Enos filij eius primi, qui cœpit * inuocare nomen Dei.

* Gen. 4.
* Gen. 6.
* Gen. 4.

De Enoch sacerdote, & quomodo scriptura significauerit fuisse eum sacerdotem, & de propria ratione sacerdotij & placendi Deo. Et quid B. Irenæus de Enoch scripserit, quòd scilicet fungebatur legatione Dei apud homines, quod est proprium sacerdotis: & quare uocauerit eum exemplum pœnitentiæ Ecclesiasticus.

CAPVT XVIII.

ENOCH quoque fuit sacerdos, vt idem Clemens Apostolicus auctor testatur, quod ex ipsa scriptura, & Apostolorum traditione tanquam interprete didicisse mihi videtur. Ait enim scriptura, * Ambulauitque cùm Deo, siue vt est apud 70. placuit Deo. Quod quidem dictum est, nō solùm vt intelligamus, placuisse eum Deo, sed etiam ducem ac magistrum alijs fuisse, vt Deo placerent, quæ erat propria sacerdotij ratio, quā diuinus Dionysius, vt suprà admonui, explicauit, ac ratio excellens placendi Deo, siue ambulandi cum Deo, quam scriptura sancta significare voluit, cùm dixit κατ' ἐξοχὴν, ambulauitque cum Deo, siue placuit Deo. Hoc quoque beatus Irenæus à maioribus suis accepisse videtur. Sic enim de Enoch scripsit lib. 4 cap. 30. contra hæreses: Enoch cùm esset homo, legatione Dei ad angelos fungebatur: angelos enim vocauit posteros Seth, quos scriptura *vocat filios Dei: pro quo quædam exemplaria, vt beatus Cyrillus Gen. cap. 6. notauit, habēt angeli Dei, sicut Irenęus legisse videtur, licet mendosè, vt Cyrillus ait. Fungi ergo legatione apud homines, ad rationem sacerdotij pertinet, sicut Apost. in epis. 2. ad Corinthios cap. 5. ait, Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. De hoc scriptum est in Ecclesiastico, * Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, exemplū pœnitentię. Vocat Enoch exemplum pœnitentiæ, quia hoc ad officium sacerdotis in primis pertinet, populum videlicet ad pœnitentiam hortari & conuertere, quod Enoch faciebat. Nec hoc solum, sed in se ipso quoque translato docuit,

* Gen. 5.
* Gen. 6.
* Eccli. 44.

docuit, ſeparandos eſſe in altero ſeculo iuſtos, & ad Deum conuerſos, ab ijs, qui non eſſent tales.

De Noë ſacerdote, quomodo eum quoq; ſacerdotem fuiſſe ſcriptura ſancta docuerit: & quid de eo ſcriptum ſit in Eccleſiaſtico, quod ad ſacerdotium eius pertinebat.

CAPVT XIX.

NOë quoq; fuit ſacerdos, nõ ab hominibus, ſed à Deo ad ſacerdotium vocatus: de quo ſcriptum eſt, * AEdificauit autem Noë altare domino: & tollens de cunctis pecudibus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare: odoratusque eſt dominus odorem ſuauitatis ſcilicet, quia rectè obtulit, & rectè diuiſit, vtpote ſacerdos Dei, de quo ſcriptũ eſt in Eccleſiaſtico cap. 14. Et in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, ſiue vt eſt in Græcis exemplaribus, factus eſt commutatio: vtrumque enim ad rationem ſacerdotij pertinuit: & in vtroque imaginem Chriſti veri ſacerdotis adumbrauit, qui erat, ſicut Apoſtolus ait, * in Deo mundum reconcilians, quiq; animam ſuam pro mundo poſuit, ſiue commutauit, ne in æternum periret.

* Gen. 8.

* 2. Cor. 5.

De Melchiſedec, cur inter cæteros nominatus ſit ſacerdos Dei. Quòd neq; Melchiſedec, nec ulli alij ſacerdotes ante legem à populo, aut magiſtratu uocati dicantur.

CAPVT XX.

ALIVS ſacerdos ex ijs, qui à principio fuerunt, extitit Melchiſedec, quem iam ſcriptura ſancta * non ſolùm obtuliſſe, & quid obtulerit dicit, ſed hunc primum ſacerdotem Dei altiſſimi vocat, quòd is plenius atque excellentius quàm cæteri, ſacerdotium & ſacrificium Chriſti

* Gen. 14.

delineauerit. Sed de sacerdotio & sacrificio Melchisedec plura libro alio, de sacrificio scilicet, commodiore loco differemus. Satis sit nunc illud notasse, neque Melchisedec, qui sacerdos Dei altissimi appellatus est, à populo aut à principe seculari vocatum esse. Quare cùm propheticus sermo * eiusmodi consiliarios, id est, sacerdotes, in nouo testamento præficiendos esse promiserit, qui scilicet monitis & consilijs suis populum ad sanctitatem vitæ hortarentur, cuiusmodi à principio fuissent, illos autẽ à principio nunquam scriptura sancta à populo electos dicat, relinquitur, vt verum omni tempore fuerit, non à populo, aut magistratu ministros sacrorum vocari.

* Isai. 1.

De Iob sacerdote electo à Deo ut populo præesset, locus Clementis recitatus de precatione, quæ adhibetur in ordinatione Episcopi, quæ satis uocationes Hæreticorum ministrorum redarguit. Et quòd nõ legibus ciuilibus, sed Apostolicis & ijs, quæ à successoribus Apostolorum profectæ sint, gubernanda sit Ecclesia. Et quomodo leges ciuiles ad præficiendum ministros Ecclesiæ nullum testimonium à Spiritu sancto habeant, sicut habent leges Ecclesiasticæ, & quod sit istud testimonium. Quomodo Christus in ordinatione hierarchica alicuius ministri medius existit, per personam Episcopi hierarchicè ordinantis. Et quòd in uocationibus ministrorum Hæreticorum non sit medius Christus, ac proinde nulla uirtus in eas uocationes à Deo Patre per mediatorem Christum descendat. Et quomodo sectarij uerbum Dei, quod iactant, contemnunt, dum eius interpretationem ex antiquis Patribus non quærunt. Et de libris constitutionum Apostolicarum Clementis Romani, qui auctores meminerint, & quanta earum sit auctoritas: & quid ad illud respondendũ sit, quod ex VI. Synodo in Trullo obijci possit. Quomodo sectarij Simonem Magum imitentur, cùm laici laicos faciunt ministros uerbi & sacramentorum.

CAPVT XXI.

EXtremus sacerdos, quem Clemens Romanus inter eos, qui à principio fuerunt, commemorauit, & à Deo electũ esse dixit, vt administratione sacerdotij populũ moderaretur, fuit sãctus Iob, de quo scriptum est, * Cùm cõsummati essent dies cõuiuij, mittebat Iob, & sanctificabat illos: & consurgens diluculo, offerebat pro eis holocausta, dicebat enim, ne fortè peccarint filij mei, & benedixerint deũ in corde suo. Deinde subiungit, Sic faciebat Iob cunctis dieb. eorũ. Hactenus de sacerdotibus, qui à principio fuerunt, quos nobis Clemens Romanus, Apostolicus auctor, in Apostolicis constitutionibus denotauit. *Iob. 1.

Sequitur, vt ad totum illum Clementis locum recitandum pergamus, & in eo reliqua, quæ commoda ad hanc tractationem videantur, obseruemus. In illa igitur precatione ab Apostolis tradita, quæ ab ipso illo Clemente lib. 8. cap. 5. literis mandata est, vt esset velut formula, quam antistes in consecratione Episcopi imitaretur, sic ille post procemium, quod ex diuinis laudibus contexuit, subiungit, Qui dedisti leges Ecclesiæ per aduentum Filij tui in carne testante Paracleto per Apostolos tuos, & per nos, qui gratia tua adsumus Episcopi. Non igitur legibus ciuilibus gubernanda est Ecclesia, sed ijs legibus, quas Ecclesia tum ab Apostolis, tum à successoribus eorum accepit: illis enim perhibuit testimonium Spiritus sanctus per ipsos illos Apostolos, cùm sedit * supra singulos eorum, in specie linguarũ ignearum: his verò legibus, quas Ecclesia accepit à successoribus Apostolorum, perhibet testimoniũ idem *Actor. 2.

Spiritus sanctus per ipsos illos Apostolorũ successores, qui gratiam acceperunt per impositionem manuum Presbyterij, sicut Apostolus ait * de ordinatione Timothei episcopi. Ergo leges politicæ ad gubernationem Ecclesiæ, id est, ad vocandum & præficiendum ei ministros, irritæ sunt & cassæ, immò profanæ, nullumq́ testimonium Spiritus sancti habent. Sequitur deinceps, Qui à principio prouidisti, quos populo tuo præesse velles, in primis Abel, Enos, Enoch, Noë, Melchisedec & Iob. Qui declarasti Abraam & reliquos patriarchas cum fidelibus famulis Mose & Aaron, Eleazaro & Phineæ: qui ex ijs ipsis creasti principes & sacerdotes ad tabernaculum testimonij: qui elegisti Samuelem, vt esset sacerdos & propheta: qui sanctuarium tuum non reliquisti sine ministerio: cui beneplacitum est in ijs, quos ad te glorificandum elegisti. Ergo in ijs sacerdotibus & ministris Ecclesiæ, quos non Deus per Episcopos successores Apostolorum, sed populus aut magistratus elegit ad glorificandum Deum, non potest esse beneplacitum Deo: neque ij sunt electi ad glorificandum, sed ad vi[illegible]perandum Dei ordinationem, & blasphemandum Spiritum sanctum, qui non per populum, sed per Apostolos & eorũ successores, Ecclesiasticæ gubernationi attestatur. Sequitur in precatione, Ipse etiam nunc medio Christo tuo effunde per nos virtutem spiritus tui ductoris, qui ministratur dilecto filio tuo IESV Christo, quem donauit te volente ipse idem Christus sanctis Apostolis tuis, qui es æternus Deus. Da in nomine tuo, cognitor cordis Deus, huic famulo tuo,

1. Tim. 4.

quem

quem ad Episcopatum elegisti, vt gregem tuum sanctum pascat, & pontificatu tibi fungatur sanctè, & sine reprehensione ministrans die ac nocte, vt efficiendo vultum tuum propitium, congreget numerum eorum, qui salui fiant. Si cùm fit aliquis sacerdos aut minister Ecclesiæ, Christus per personam Episcopi medius existit, ergo vbi auctoritate populi aut magistratus sacerdos præficitur, ibi non est medius Christus; ac proinde nullam virtutem Spiritus sancti ductoris à Deo patre per mediatorem Christum accipit. Ex quo fit, vt non possit ipse regere ac gubernare Ecclesiam. Sic verò sunt ministri ac Superintendentes Lutheranorum & Caluinianorum. Pergit deinde precari Episcopus ordinator, inquiens, Da ei domine omnipotens per Christum tuum participationem Spiritus sancti, vt habeat potestatem remittendi peccata secundùm mandatum tuum, item tribuendi cleros, id est, ordinandi, & ad ministerium Ecclesiæ vocandi, vt tu iussisti, ac soluendi omne vinculum secundùm potestatem, quam Apostolis* dedisti, placendiq; tibi in mansuetudine, & corde mundo, offerendo semper sine culpa, & sine crimine sacrificium mundum & incruentum, quod per Christum constituisti mysterium noui testamenti in odorem suauitatis. Si potestatem tribuendi cleros, id est, in ordinem clericorum asciscendi, & ad ministerium Ecclesiæ vocandi accipit Episcopus, cùm ordinatur non secundùm legem politicam, sed secundùm legem diuinam, consequens est, vt vocationes & electiones populi aut magistratus, quæ auctoritatem ministrandi & superintendendi tribuunt,

*Matth. 18.

buunt, violentæ ac sacrilegæ sint, irritæ & vanæ. An non tribuit cleros, & Episcopi potestatem ad se populus, aut magistratus rapit, cùm ait, Ministra tu hoc loco & gradu atque ordine, & tu sta in illo? Tu hoc munus & ministerium exerce, & tu illud?

Scio, contemnent hic Lutherani & Caluiniani Apostolicas istas constitutiones, quas frequenter aduersus illos producimus & obseruamus. Sed quid hoc mirum? an non ipsum Dei verbum, quod semper in ore habent, & vanè iactant, contemnunt, dum non omni studio & modestia ac reuerentia, vt par erat, sensum eius & interpretatiõem quærũt & scrutantur? quo modo scilicet maiores eorum, & nostri antiqui patres, & Apostolici magistri, illud intellexerunt, & Ecclesijs tradiderunt? Ita enim fieret, vt daret eis dominus in omnibus intellectum, nisi sunt fortè acutiore ingenio & diuiniore quàm Timotheus, cui Paulus cùm studium & attentionem eius excitare vellet, Intellige, inquit, *quæ dico, dabit enim tibi dominus in omnibus intellectum. Ac constitutionum quidem Apostolicarum, quas Clemens Romanus literis mandauit, quanta sit, ac fuerit semper auctoritas, ex meo in eas prolixo prologo, facilè perspici potest. Bone Deus, quàm multi, quàm sancti, quàm graues & eruditi ac vetũsti patres eas meminerunt, celebrarunt & secuti sunt? Nicæna synodus cccxviij. Patrum, Proclus Constant. Athanasius Alexand. Euthalius Sulcensis æqualis ætatis eius, Cyrillus Hierosoly. Petrus Alexand. martyr, Sophronius Hierosol. S. Epiphanius, Hieronymus, Ignatius, Polycarpus, Egesippus, Hippolytus martyr, Asterius Episcopus Amasææ, Basilius, Chrysost. Greg.

*2. Tim. 2.

Greg. Nazianz. Anastasius Antiochenus, Ioannes Damascenus, S. Maximus & alij, quos prætereo, ne omnes enumerem. Vbi verò, id est, quibus libris, & quibus locis, & quomodo hi auctores quos nominaui, Apostolicas Constituti. Clementis Romani imitati & secuti fuerint, indicaui in Prologo, quem Græcè scribere in libris ipsis Græcè à me editis non ambitio suasit, sed necessitas coëgit. Faciam verò idem propediem, si dominus voluerit, in eisdem libris à me in latinum conuersis, adiũctis scholijs multis in locos obscuriores, qui ab ijs, qui non intelligunt, temerè reprehenduntur. Ad illud tantùm interim respondebo, quod à Lutheranis & Caluinianis aduersus horum librorum auctoritatem in primis fortasse obijci posit, scilicet iamdiu improbatos esse ac reiectos à Patribus VI. Synodi, quæ Constantinopoli in Trullo habita est, propter quædam, vt illi Patres in 2. Canone dicunt, adulterina & aliena ab Ecclesia, quæ cum illis ipsis constitutionibus confusa, ac permixta ab hæreticis aliquando fuerunt. Concedamus quod tot Patres testantur, quodq́ euenire potuit, immò iam in alijs libris eiusdem Clemẽtis euenisse non dubitamus. Vt ab Ebionitis pleraq́ in Itinerario Clementis corrupta esse S. Epiphanius & B. Hieron. affirmant. Dissimulemus hæc. At illud saltem negari ab istis non potest, nisi ridendos se omnibus præbeant, Clementem Constit. Apostolicas scripsisse, quod illi ipsi Patres ante octingentos annos & amplius aperte C. 2. confessi sunt. Quare dicamus saltem, quod beatus Hieron. lib. 3. contra Pelagianos scripsit, Cùm enim citasset aduersus eos Euangelium sermone Chaldaico, & Syro, li-

sanctorum Patrum & in primis Cyrilli, corrumperent. Ii tamen Cyrilli libri, qui nunc in omnium manibus feruntur, integri & incorrupti remanserunt. Testatur item Ammonius Alexandrinus lib. 2. cõtra Iulianum, epistolam Dionysij Areopagitæ ad Gaium à Seuerianis & Eutychianis corruptam fuisse, vbi Dominum vocat supra homines & secundùm homines ὑπερώνυμον: deleuisse enim ait, illud, secundùm homines, vt vera Christi humanitas tolleretur, quod tamen integrè nunc in libris nostris legitur, etiam manu scriptis. Sic euenit in libris Clementis. Nec enim cùm hæretici aliquem librum corrumpũt, necesse est nullum exemplum eius libri manus eorũ effugere, alioqui nec ipsos libros Euangeliorum, & scripturæ sanctæ integros haberemus. Ac de Herma B. Hierony. Asserunt, inquit, auctorem esse libri, qui appellatur Pastor: & apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publicè legitur: & reuera vtilis liber est, multiq; de eo scriptorum veterum vsurpauerunt testimonia, sed apud latinos penè ignotus est. Tertullianus inter apocrypha scripturam Pastoris reijcit: quæ sola, inquit, mœchos amat. Hoc verò cùm in nostris libris non reperiatur, dicere licet, quod B. Hieronymus, clarissimus Ecclesiæ doctor, de eo libro iudicauit, reuera vtilem esse, posseq; ex eo testimonia exemplo veterum scriptorum laudatè sumi. At cur hoc saltem non concedatur à rigidis istis & seueris censoribus, & Centuriarum auctoribus, Clementi Romano, Apostolico viro, & Apostolicarum constitutionum grauissimo scriptori, vt libri eius vtiles saltem censeantur, & ex eis exemplo veterum Patrum testimonia recitẽtur: in quibus nihil

quod non cum scripturis sanctis & Apostolorum doctrina consentiat, ab intelligẽtibus notari potest, quiq; tantæ apud omnes Ecclesias auctoritatis semper fuerunt, vt Ecclesiæ Syrorum & Aegyptiorũ, ac Græcorũ inde constitutiones Apostolicas sumant, & vsq; in hodiernum diem seruẽt, & in Ecclesiastico cultu retineant; & Ecclesia latina eorũ librorũ doctrinam, ac virtutem eius, & ipsa sacramenta & generales sacramentorum cærimonias, quę in ijs ipsis libris feruntur, religiosè custodiat. Et vt semel finiam, illud postremò addam, quod quidẽ, vt mihi videtur, vim habet grauissimi testimonij, quantæ auctoritatis hi libri sint, quòd cum Imperator Constantinopolitanus in templo S. Sophiæ coronandus erat, sua manu cõfessionem fidei scribebat, ac profitebatur his verbis: Ego fidelis in Christo Imperator mea manu propria proposui cõfessionem, Credo in vnum Deum, & quæ sequuntur. Et paulò pòst, Etiam, inquit, amplector & confirmo Apostolicas & diuinas traditiones, & Apostolorum διατάξεις, id est, constitutiones, Canones quoq; Conciliorum Oecumenicorũ. Et in VIII. Synodo Const. 383. Patrum, quæ sub Ioanne Pontifice Romano ante septingentos annos habita est, cui præfuerunt Petrus Presbyter, & Paulus Anconitanus, & Eugenius Episcopus Ostiensis, cùm ij qui locum Pontificis tenebant, responderent, vt in VI. Actione scriptum est, nõ decere alium canonem nouari præter veteres, qui in cuncto orbe vigerent, & de omnium sententia legerentur, ac confirmarentur, Photius Patriarcha Const. dixit, Iudicio omnium fratrum & consacerdotum nostrorum legantur. Ac Petrus quidẽ Diaconus & prothonotarius legit, inquiens; Qui Domini & saluatoris nostri

ſtri IESV Chriſti diuinam & veneratione dignam doctrinam ſinu mentis amplectimur, voluntate non diſcrepante, puritate fidei fundati, ſanctorum quoque Apoſtolorum διατάξεις, id eſt, conſtitutiones & canones, iudicio certo ſeruamus. Quin etiam VII. ſynodorum Oecumenicarum, tanquam vnius Spiritus ſancti afflatu prædicantium, canonicas leges ſanas & integras, ſyncera ac conſtanti ſententia, vt ſanctas honoramus & cuſtodimus, & quæ ſequuntur. Sed de Clemente hæc hactenus ſatis ſint, reliqua in latinum Prologum conferemus. Quid igitur ſupereſt nunc quod in contemptores iſtos tandem dicamus, niſi quod B. Petrus docuit, quod idem, inquam, in ſimiles dixit, *Nouit Deus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos: magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentiæ immunditia ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, angelos non metuunt blaſphemare. Et paulò pòſt: Hi verò, inquit, velut irrationabilia pecora naturaliter genita in captionem & interitum, ea quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribũt. De Simonianis loquitur B. Petrus, quorum magiſter & princeps Simon Magus, angelos à ſe factos tradebat: Et quia malè mundum gubernaſſent, ſe è cœlo deſcendiſſe, angelis aſſimilatum. Sic facit populus ſectariorum, vt iam ad propoſitum reuertamur, ipſe ſuæ Eccleſiæ, quam falſò vocant, angelos (ſic enim ſcriptura ſacerdotes vocare ſolet) electione ſua facit, ſeque eis aſſimilat, dum laici laicos habent ſacerdotes, vt ſic quoque prophetiã Oſeæ * impleant, Et erit, inquit, ſicut ſacerdos, ſic & populus. Hi ſunt, qui angelos Eccleſiæ noſtræ catholicę, id eſt, ſacerdotes, blaſphemè calumniant male Eccle-

* 2. Pet. 2.

* Oſeæ 4.

le Ecclesiam gubernare, & ideo se quasi è cœlo descendisse ad correctionem eorum, ignorantes eorũ gradum & dignitatem, neq; à quo facti sint, neq; cuius ministri, immò neq; in eos tantùm blasphemi, sed in Christum eorum dominum & caput, ex quo totũ corpus, per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum Dei, sicut A-
*Ephes. 2. postolus * ait. Cùm interim angeli Ecclesiæ nostræ quamuis fortitudine & virtute præstantiores, tamen non audeant istos ipsos Simonianos ministros laicos blasphemare.

Ac quia hunc locum obiter attigi de similitudine Lutheranorum & Caluinianorum cum Simonianis, quò propius similitudo spectetur, videte quæso sectarij, quid Iræneus scribat libro primo aduersus hereses, tradidisse Simonem Magum, sola gratia sua, id est, Christi (se enim Christum faciebat) sine iustis actionibus homines iustificari. An non est hoc Lutheranorum præcipuum dogma? atque hoc quidem ne à nobis fingi calumnientur, interrogent suos quadrumuiros Centuriatores, illos dico quatuor historiæ Ecclesiasticæ scriptores, qui hoc in prima centuria cap. de doctrina, bona fide notarunt, vt suo se gladio confoderent iusto Dei iudicio, qui per Pro-
*Iob. 5. phetam suum Iob dixit, * Comprehendam sapientes
*Psal. 93. in astutia eorum; & iterum, * Deus nouit cogitationes sapientum, quoniam vanæ sunt. Sed de hoc dicam plura, si dominus voluerit, in libro de ratione capiendi vtilitatem ex lectione Centuriarum. Reuertamur nunc ad locum Isaiæ de præficiendis consiliarijs sicut à principio.

Quomodo

Quomodo quod prophetauit Isaias de nouo Testamento, præficiendos esse consiliarios, id est, Presbyteros, sicut à principio, ad tempus quoq; legis Mosaicæ referendum sit, idq; auctore etiam Clemente Romano. Et de precatione, quæ adhibetur in ordinatione Presbyteri. Et quomodo 70. illi seniores, quos Moses iussu Dei elegit, imaginem gesserint Presbyterorum noui testamenti. Et de collatione electionis illorum à Mose factæ, cum ordinatione Presbyterorum, quæ, ab Episcopo fit. Et quomodo illi 70. adiutores fuerunt Mosis in ijs quæ ad Dei cultum pertinebant, sicut Presbyteri adiutores Episcopi. Et quomodo laici etsi prophetæ poßint esse, non tamen prophetare in Ecclesia. Quomodo Eldad & Medad non fuerunt ex numero 70. seniorum. Et quid sit fuisse ex descriptis, ut Moses dixit: quod nonnulli ueteres aliter interpretati sunt: & quòd nullo exemplo, neq; ratione, neq; authoritate, ministri sectariorum à potestate laica uocati, uerbi & sacramentorum dispensatores esse possunt. Et quomodo Christus nobiscum maneat usq; ad consummationem seculi, non autem maneat cùm sectarijs. Quomodo qui apud sectarios uocant ad ministerium uerbi & sacramentorum, peius audent, quàm Saul cùm ausus est sacrificare, plus quàm Oza & Ozias, & quàm Maria soror Mosis.

CAPVT XXII.

QVòd enim Isaias prædixit, * præficiendos esse consiliarios, Ecclesiæ noui testamenti, id est, Presbyteros, sicut à principio, ad tempus quoq; legis Mosaicæ referendum est, de quo idem Clemens Romanus in ea precatione, quæ ad ordinationem Presbyterorum adhibetur, nos admonuit. Sic enim libro 8. const. Apostol, precatur Episcopus ipse etiam, Respice nunc hunc famulum tuum suffragio atque iudicio totius cleri ordini Presbyterorum ascriptum: impleque eum spiritu gratiæ & consilij ad opitulandum populo tuo, ad eumque mundo corde gubernandum, sicut respexisti populum tuum

* Isai. 1.

tuum electum,& ſicut Moſi iuſſiſti ſeniores eligere, quos ſpiritu impleuiſti,& quæ ſequuntur. Scriptum
Num. 11. eſt in Num.* Et dixit dominus ad Moſem, Congre-
» ga mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu
» noſti, quòd ſenes populi ſunt ac magiſtri: & duces
» eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciesq; ibi ſtare
» tecum, vt deſcendã & loquar tibi, & auferam de ſpi-
» ritu tuo, tradamq; eis, vt ſuſtentent tecum onus po-
» puli, vt non tu ſolus graueris. Quia traditum nobis eſt, vt in nouo teſtamento Presbyteri non ex vna tribu aut gente, ſed ex omni natione optimi quiq; eligantur, meritò ſeptuaginta illos, quos dominus ex cuncto populo delectos adiutores Moſi adiunxit, nomine,& gradu, atq; officio voluit noſtrorũ Presbyterorum imaginem gerere. Illos igitur ex cuncto populo iuſſit deligere: ac delectis quidem non populus, ſed ipſe dominus ſpiritum gratiæ ſuæ dedit,& in illo gradu atq; ordine collocauit. Sic fit in noſtra Eccleſia, ſcilicet congregat Epiſcopus, quos nouit, quòd ſint ſenes populi ſenſu ac prudentia, ſicut ſcriptum eſt,* Cani ſunt ſenſus hominis,& qui ſint ido-
* Sap. 4. nei ad docendum: Deinde rogatur populus, an eos probet, vt ſic paci Eccleſiæ conſultum ſit. Neq; verò ſi quid in hoc iudicio ac delectu per negligentiam, aut alio vitio aliquando prætermiſſum erit, idcirco fruſtratio gratiæ metuenda eſt à Deo, ne quid hic hæretici malitioſè cauillentur. Non enim, ſi citò impo-
* 1. Tim. 5. nantur manus, quod Apoſtolus* prohibet, idcirco fruſtra erunt impoſitæ. Neq; enim vitium noſtrum fidem Dei vacuam ac caſſam fecerit. Non dico, nunquam in ordinationibus noſtris peccari: non hæc defendo: ſed neq; rurſus, ſi quando peccetur, nobis

licet accusare, sed neq; de hoc nobis cum hæreticis quæstio est: illud nunc quæritur, à quo fiant sacerdotes & ministri Ecclesiæ secundùm verbum Dei: id est, vnde existat hierarchia: à populo, seu magistratu, an à Deo? Nos quidem à Deo, docemus & probamus, sicut à principio, id est, vt à Deo 70. illi Presbyteri, siue seniores populi constituti sunt, de quibus scriptum est, Congrega illos ad ostium tabernaculi: * Num. 11.
faciesq; eos stare ibi tecum, vt descendam, & loquar »
tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamq; eis. Sic Epi- »
scopus eos, qui ex populo electi sunt, iubet venire ad Ecclesiam: facitq; ibi stare secum: descenditq; dominus, & loquitur in Episcopo verbum ordinationis: & qui tribuerat gratiam pontificatus Episcopo, idem tribuit in eodem spiritu gratiam presbyteratus Presbytero. Ita fit, vt in nostra Ecclesia à Deo fiant Presbyteri operante in Episcopo. Sicut à principio iuxta propheticum sermonē, Clemente Romano Apostolico auctore & interprete, constituti sunt septuaginta illi à Deo operante in Mose, vt Mosem in ijs, quæ ad Dei cultum & religionem pertinebāt, adiuuarent: quod quidem cùm ex eo intelligit, quòd illos ad ostium tabernaculi congregare iussit: tùm etiam ex spiritu prophetico, quem illis dedit. Respondeant ergo nobis Lutherani & Caluiniani, qui ministros suos & Superintendentes defendunt, & sacerdotes nostros oppugnāt, de cuius spiritu dat eis dominus, cùm à populo aut magistratu vocātur? vocationes enim vocant suas ordinationes. An dat eis de spiritu populi aut magistratus? ecquid hoc amentius? Spiritus prophetarum, inquit Apostolus, * prophetis subordinati sunt: hoc enim significat * 1. Cor. 14.
Nn voca-

vocabulum Græcum. Non dixit, Spiritus prophetarum populo aut magistratui subordinati sunt? quia alius ordo est secularium, alius spiritualium.

Sed suspicor dicturos hic aduersarios, homines ad cauillandum non tardos, neque hebetes, conuenire quoque prophetiam populo vel Mosis testimonio, qui in eodem loco optauit, vt cunctus populus prophetaret. Sanctè ille quidem optauit: idem quoque nos cum sancto Mose homine Dei optamus. Sed vbi populum optauit prophetare? an non in castris, vbi illi duo Eldad * & Medad prophetare nunciati sunt? Neque enim illi ex numero 70. erant, quos Moses ad ostium tabernaculi congregauit vel ipso Mose teste, qui non dixit, se sexaginta octo ad ostium tabernaculi congregasse, & duos in castris remansisse, sed septuaginta ad ostium tabernaculi congregasse. Quòd verò testatur Moses, fuisse duos istos etiam ex descriptis, & non exisse ad tabernaculum, non significat descriptos inter septuaginta illos, fuisseque ex eorum numero, quod nonnullos fefellit: quin potius quos hic descriptos vocarit, intelligi potest ex Ezechi. cap. 13. Sic enim prophetauit de falsis prophetis non introducendis in » terram Israël, sed interficiendis. In disciplina, inquit, populi mei non erunt, id est, nihil illis proficiet castigatio tanquam filijs adulterinis: neque » in scriptura, inquit, domus Israël scribentur, & in terram Israël non intrabunt. De hoc quoque libro & scriptura idem Moses loquebatur, cùm petijt à Deo in Exodo, * vt peccatum populo condonaret, aut ipsum

*Num. 11.

*Exod. 32.

ipsum Mosem propter id peccatum de libro, quem scripsisset, deleret. Ergo dixit Moses, requieuisse spiritum super duos istos, & prophetasse, quia inquit, & ipsi erant non quidem ex falsis prophetis, qui in eremo interfici meruerunt, sed ex numero eorum, quos Deus in terram Israël introduxit: hos enim vocauit scriptura descriptos, scilicet in libro vitæ. Quòd si hi duo alioqui sancti & prophetæ, qui ad hierarchiam Mosaicam non pertinebant, neq; erant ex 70. illis à Mose delectis, & eidem auctoritate Dei ad sustinendum cum eo curam & munus gubernationis datis, ipsi se ipsos metientes, sicut Apostolus de se dixit, * secundùm mensuram regulæ, qua eis mensus erat Deus, non superextenderunt se, neq; vsq; ad tabernaculum pertigerunt, sed potius in castris remanserunt tanq; homines ex populo: quo exemplo, aut ratione, aut auctoritate ministri Lutheranorum, quos aut populus, aut magistratus ad ministerium verbi & sacramentorum elegit, audent exire ex ordine suo ad tabernaculum, id est, Ecclesiam, vt ipsi vocant, & ibi prophetare, & sacramenta ministrare? An dedit eis Deus spiritum gratiæ & prophetiæ, populo vel magistratu vocante? an loquitur dominus cum populo loquente? & vocat cũ vocante? At vbi hoc testat? proferant aliquid simile à Deo dictum populo, vt illud Mosi, quando illos septuaginta in Mosaicam hierarchiam per ministerium Mosis ad adiuuandum eum asciscere voluit. Et facies, inquit, * stare ibi tecum: & descendam, & loquar ibi tecum: sic enim est apud " 70. & auferam de spiritu tuo, & tradam eis. Et pau- " lò pòst, Et descendit dominus, & locutus est ad "

*2. Cor. 10.

*Num. 11.

» eum, & abstulit de spiritu, qui erat super eum, & po-
» suit super septuaginta seniores. Cùm Paulus ad Ti-
*Tit. 1. tum scripsit inquiens, *Reliqui te Cretæ, vt constitu-
as Presbyteros per ciuitates, an non locutus est do-
minus hoc cũ Paulo? Rursus qui Titum audiebant
Presbyteros per ciuitates constituentem, an non au-
diebant dominũ constituentem? Qui vos audit, in-
*Luc. 10. quit, * me audit. Quæramus ergo, quibus hoc dixit,
an Apostolis tantum? immò verò etiam eorum suc-
cessoribus, qui vsq; ad consummationẽ seculi nunquam
deerunt. Hos.n. qui audiunt, quod perpetuò futurũ
est, Apostolos audiunt: & qui Apostolos, Dominũ:
& qui Dominum audiunt, hi habent Dominum se-
cum vsq; ad consummationem seculi manentem. Sic
.n. Clemens Romanus in persona Apostolorũ hunc
locum Euangelij in 7. libro Const. Apost. cap. 45. in-
terpretatus est. Postq;.n. eos enumerauit, quos Apo-
stoli Episcopos ordinarunt, subiungit statim de illis
ipsis Episcopis: His commisimus parœcias, quorũ
doctrinæ memores semp, sermones nostros seruate:
& sit dominus vobiscum nunc, & in sempiternum
*Matth. 28. tempus: vt idem Dominus dixit * nobis, cùm erat ad
Deum patrem ascensurus. Hactenus Clemens. Satis
verò hunc sensum consequentia ipsius loci declarat.
Postq; enim dixit, Docentes eos seruare omnia, quę-
*Ibidem. cunq; mandaui vobis, subiungit, * Et ecce ego vobi-
scum sum vsq; ad consummationẽ seculi. Quęramus
ergo à Lutheranis & Caluinianis, an sint laici Apo-
stolorũ successores? Si.n. sunt, quis est populus? & si
populi non sunt, id est, neq; greges, neq; discipuli, er-
go neq; sũt pastores, neq; doctores, quos audiamus:
neq; est dominus nobiscum vsq; ad consummatio-
nem

nem seculi. Quòd si nō sunt seculares Apostolorum successores, & id isti fateri coguntur, nisi dominum negare malint, ergo qui laicos siue seculares in ijs, quæ ad Deum pertinēt, audit, non audit Apostolos: ac rursus qui Apostolos nō audit, *non audit dominum Christum: & qui hunc non audit, is quidem nō tenet caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratū* ac constructum crescit in augmētum Dei. Nihil ergo in hac parte ministri Lutheranorū & Superintendētes à domino accipiunt, cum quo nulla hierarchica communione sunt colligati. Vnusquisq; enim minister & Superintendens est creatura populi, id est, caput ex cauda natum. Cauda enim est populus, vt Clemēs in 2. libro const. Apost. ait. *Luc. 10. *Colos. 2.

Sed reuertamur ad illos duos ex populo,* qui extra hierarchiam Mosaicam, id est, extra tabernaculum in castris prophetarunt: si qui tales erunt, hoc est, sapiētes, qui literas sacras calleant, & sint ad prophetandum idonei alioqui seculares, liceat quidem eis extra Ecclesiā tanq; in castris prophetare, in Ecclesia verò non liceat. Repetam hic quod in tertio libro de dogmaticis characteribus verbi Dei, memini me scripsisse, quid Agapetus Pontifex Romanus Iustiniano Imperatori responderit petenti, vt epistolam διδασκαλικὴν confessionis suæ ad Ioannem pontificem prius missam confirmaret: Cupis, inquit, venerabilis Imperator, vt tuæ pietatis epistolam de fidei vestræ expositione, nuper ad prædecessorem nostrum beatæ memoriæ Ioannem papam per Hypatium & Demetrium Episcopos destinatam, & à præfato præsule roboratam, nostra quoque *Num. 11.

Ozas, & Ozias. & Marias, ac filios Sceuę Iudei. Se- *Actor. 19.*
uerius dico animaduertet tanquam in pseudoprophetas
ex eorũ numero, de quib. dominus per eundem Iere-
miam dixit, *Non mittebam Prophetas, & ipsi curre- **Ierem. 23.*
bant: nõ loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Hęc
habui, quæ de hierarchicis ordinationib. ex prophe-
tico sermone dicerem, post noui testamenti de eisdẽ
ordinationib. obseruationes proprio volumine cõ-
prehensas & explicatas. Quæ vtinam Lutherani &
Caluiniani aure audiãt, & corde intelligãt, si quan- *Isai 6.*
do Deus det illis pœnitentiã ad cognoscẽdam veri- *2. Tim. 2.*
tatem, & resipiscant à diaboli laqueis per Christum
dominum nostrum, cui gloria & imperium cum Pa-
tre & Spiritu sancto in seculorum secula, Amen.

Sed priusquam finiam, conuertam me totum extremo
hoc loco primùm ad eos, qui se ab Ecclesia nostra, id
est, catholica, disiunxerũt, & Ecclesiæ sacerdotiũ hie-
rarchicũ ac sacerdotale sacrificium repudiarunt: de-
inde ad eos, qui in Ecclesia nobiscum permãserunt,
peroraboque hoc opus verbis Theolepti Episcopi
Philadelphiæ, quæ ex libro eius secũdo de schismate
in latinum conuerti, tam accommodata illa quidem
ad huius nostræ tempestatis hæreticos, vt de ijs ipsis
scripsisse videatur. Docebant enim illi, de quib. scri-
bit, populum, vt Ecclesiam non adiret, mysteria no-
stra corporis & sanguinis domini fugeret, sacerdo-
tes domini contemneret, & pastoribus Ecclesiarum
ne obediret. Quæ sunt omnia à Lutheranis ac Calui-
nianis recepta, qui vsque adeò sacerdotes contemnũt,
vt nullos nostrum agnoscant: nullos habeant suos,
vt qui laicos faciunt ministros ac pastores, quos e
medio vulgi, magistratus aut ipse populus vocet. Il-
los igitur Theoleptus peiores Iudæis dicit esse.

Peroratio.

Peroratio sumpta ex libro secundo Theolepti de schismate, accommodate ad Lutheranos, qui sacerdotes Ecclesiæ catholicæ & eorum sacrificium mysticum repudiant Et quomodo peiores sunt Iudæis: & quomodo uanè se excusent à nobis religionis causa discessisse.

CAPVT XXIII.

SEd audiamus iam Theoleptum loquentem: Illi enim inquit, saluatoris nostri crucifixi non fregerunt crura, sicut scriptum est, *Os non comminuetis ex eo, & hi verba domini mysterijs plena, quæ instar ossium vitam animarum nostrarum continent. Item canones ac constitutiones, & quæ sancti patres de Ecclesia locuti sunt, perfringunt ac dissoluunt: & ipsis vitæ suæ actionibus damnāt, & irrita efficiunt. Ac rursus illi quidem diuiserunt vestimenta Christi, & super *vestem eius miserunt sortem. At hi vera dogmata fidelium, quæ instar tegumenti, concordiam ac colligationem Ecclesiæ protegunt & conseruant, non solùm in varias synagogas dispertiunt, vnam Ecclesiam scindentes, sed in Christi nuncupationem inferunt nuncupationes hominum, quæ eos nudant nomine salutari, quod per baptismum induerunt ij, qui Christiani appellantur. Distributi enim in varias partes, ac varios cœtus, vel potius acies, diuersorum Imperatorum ac Principum nominibus gloriātur. Alius enim ait, ego huius Patriarchæ sum: ego illius. Partitur itaq; illis Christus vnus idemq; impartibilis. Rursus vestes Christi sunt Christiani, qui corpus *Christi, id est, Ecclesiam circundant, dum in ea versantur & tegunt, dum traditiones Patrum custodiunt. Vestis item Christi est sacerdotium desuper

*Exod. 12. & Ioan. 19.

*Psal. 15. & Matth. 27.

*Colos. 2.

super contextum, & gratia Spiritus sancti confectum.

Igitur qui Christianos prohibent ingredi in Ecclesiam, & à communione mysteriorum corporis & sanguinis domini, reliquorumq́ue sacramentorum dehortantur, qui sacerdotium negant, & quantum in ipsis est, sacerdotes gradu suo mouent, ac sacerdotiũ tanquam hæreditatem sibi vsurpant, seq́ue solos sacerdotes nominant, ambitionis & auaritiæ iaculo percussi, non sunt Christiani isti, non monachi, non sacerdotes, non Episcopi, sed illusores & violatores, hostes & milites, sensu ac moribus Iudæi. Vt enim illi vt in Christũ contumeliosi, ab eo sunt alieni: sic isti qui sancta mysteria à catholicis sacerdotibus confecta tanquam immunda auersantur, vt in Christum debacchantes, alieni ab eo sunt. Nam si isti qui sic sẽtiunt & agunt, inter pios ac religiosos numerandi sunt, numerentur etiam Iudæi nobiscum. Sin verò illi inimici sunt & dicuntur, quippe qui vestimenta Christi diuiserunt, & super vestem* eius miserunt sortem, profectò inimici quoq́ue sunt isti, qui Ecclesiam sciderunt, & sacerdotium, quasi partis suæ sit, sibi assumunt, & eos, qui sanctè & catholicè sacra operantur, sacerdotio spoliant. Quòd si dicant, se ista docere & agere pietatis ac religionis causa, seq́ue his verbis iustificant, sciant se excusare excusationem * in peccatis, facileq́ue est eos coarguere. Nam si eos ratio hæc defendit, ergo liberantur Iudæi. Quæcunque enim in Christum ausi sunt causa legis & pietatis, & in gratiam Dei ausi sunt. Si igitur hi iusti sunt, relinquitur, vt non sint condemnandi, qui per speciem pietatis Ecclesiam disturbant.

*Matth. 17.

*Psal. 140.

Sed heus tu, quid in tenebris vani sensus somnias, tecum pugnas, & contra te rationes finges, & inanes excusationes excogitans? An qui rem domini furto tollit, rem Domini fideliter custodit? an qui conuiciatur, laudatur? an qui percutit, beneficium dat? an qui pugnat, pacem agitat? an qui dispergit, congregat? qui diuellit, copulat? qui odit, amat? qui extirpat, serit? qui subruit, ædificat? qui malè facit, dat operam virtuti? qui distorquet, dirigit? qui deijcit, erigit? Quid ais? fac sis apud te, ingredere in cõclaue cogitationum tuarum. Proijce abs te istas tuas excusationes, inuestiga serpentem in te delitescentem, considera, quæ tibi sint tenebræ: accede ad lumẽ veritatis, & da respõsum prudens, si quod habes, & continuò sequemur te, vt qui studio veritatis teneamur: sin verò non habes, relicta opinione ista tua priuata, relictisq́ contentionibus, sta à nostra parte nobiscum: ingrediamur simul in Ecclesiam. Ecce

* Psal. 132. enim inquit, * quàm bonum, & quàm iocundum habitare fratres in vnum: Vt habitem * in domo domi-
* Psal. 26. ni omnibus diebus vitæ eius, vt videam delicias domini, & visitem templum sanctum eius. Vt diligam

* Psal. 25. decorem * domus eius, & locum habitationis gloriæ eius. Concelebremus laudes domini vno ore: & coniunctione ac consensione nostra extollamus nomen eius, qui sublatus est in crucem, & brachia extendit, vt procul stantes, in numerum suorũ, congregaret, & dissentiẽtes ac diremptos in vnũ copularet. Quod deest Ecclesiæ propter absentiam tuã, reficiat aduentu & præsentia: quod erat decessione tua scissum, redintegretur reditu: agglutinetur adhæsione tua, q̃d erat diuulsum: quos tua defectio dolore affe-

ecerat,

cerat, consoletur tua reuersio: caue ne illa prophetici sermonis dura & acerba sententia in te ad exitũ perducatur: Quod perit, inquit, pereat. Angimur, tanquam fratres, tua distractione: & tanquam membra tua, dolorẽ vulneris tui sentimus, desideramus reditũ tuũ, antequam cancri serpentis curationem mors occupet: penes te sunt mors & vita: nõ ægrotas inuitus, neque tibi quicquam preter voluntatem accidit aduersi, quod impediat, quin sanari velis. Quin potius libera & voluntaria est tua ęgritudo: si velis, saluus es & incolumis: sin rursus nolis, in infernum descendis. Dum manu voluntatis tuæ tenes lancẽ tuæ reuersionis, esto gratus erga Ecclesiam, quæ te regenerauit. Ne sis ita diu aduersus matrem tuam ingratus, maledictis eam incessens, & perniciosis verbis de eius filijs prædam faciens, ne dum sacra mysteria corporis domini vituperas, & vnionẽ ecclesiasticam diuellis, extremus dies ex inopinato incidens, linguã contumeliosam & blasphemam cohibeat, & finẽ imponat vanæ concertationi animi tui: prouidas verò consciẽtiæ cogitationes excitet, & contra te sistat, quæ animã tuam redarguant, & dedecus atque probrum cum increpatione eidem inferant: & te ab illa cœlesti Hierusalem, quæ est vera* mater Ecclesiæ primogenitorum, funditus disseparent, quia tu in terris Ecclesiam disrumpere & scindere ausus es: & ex tuo iudicio atque actionibus suffragium contra te ferant, ac iustissimè damnatum, inconsolabili cruciatu puniant. *Gal. 4.

Hæc tibi fraternè proponimus, te ad recõciliationem communis omniũ matris Ecclesiæ hortantes. Mouemur .n. misericordia, & lachrymas continere non possumus, dum cogitamus illũ supplicij diem, in

* 2.Pet.3. quem sponte vestra tenditis, in quo elementa calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur: quando pœnitentia subibit, quæ nullum fructum ferat, sed dolorem infinitũ & gemitum. Fient enim vacua, & erunt exinanita opera vestra, &
* Psal.48. descendet * in infernum gloria vestra, ac vestra lætitia copiosa, quoniam anima vestra in vita vestra benedicetur, vsq; in seculum non videbitis lumen.
* Isai.14. Subter vos erit putredo * & amictus vester vermis: tenebræ enim quæ sunt in cordibus vestris ex voluntate vestra ortæ, occultæ illæ quidem nunc in animis vestris, diffusæ erunt tunc in corporibus, fientq; vo-
* Matth.8. bis tenebræ * exteriores. Illic erit fletus & stridor dentium: illic lugebunt, qui voluptates, quas sequi libuit, sequuti sunt. Illic erit eis dedecus qui gloriam hominum admittunt, & gloriam Dei repudiant: illic stridebunt dolenter, qui rationum suarum iudicio crediderunt, & decretis ac sententijs patrum non paruerunt. Hactenus Theolepti parænetica peroratio ad eos, qui se ab Ecclesia separarunt. Sequitur eiusdem altera pars perorationis ad eos, qui in ea cum fidelibus permanserunt.

Extrema pars perorationis cum Apostrophe ad eos Catholicos, qui inter Lutheranos & Caluinianos habitant. Et de ira Dei in contemptores sacerdotum: & de supplicijs quibus in scripturis sanctis affecti sunt.

CAPVT XXIIII.

VOS autem fratres mei inquit, qui sub iugum obedientiæ Christi collum misistis, consensionis ac pacis aratrum trahentes, Ecclesias assiduè frequentare

quentare ne desistatis: vt tum nos ipsos ad prouocationem charitatis & bonorum operum exacuamus, tum aliorum hominum superbos & seditiosos animos tanquam glebas duras frangentes, eos ad satus accipiendos præparamus, iniecta illis cupiditate conueniendi in Ecclesias, & diuina audiendi, atque ita os Christi efficiamur. Qui enim, inquit, *dignum ex indigno educit, tanquam os meum erit. Sed vt desiderium vestrum, quo tenemini, incitem, atque animis vestris robur addam, quasdam historias vobis narrabo, quæ apertè iram Dei ob oculos ponunt, qua ille contemptores sacerdotum, & eos, qui iura & leges Ecclesiasticas peruersè sustulerunt, vlciscitur. *Ierem. 15.

Cain & Abel *fratres germani voluerunt sacrificare Deo, obtulit ille ex secundis frugibus: hic ex primitijs pecudum. Respexit quidem Deus ad Abelis sacrificium: sacrificium verò Cain repudiauit. Cœpit ex eo dolorem Cain: & concepta intus inuidia, peperit cædem fraternam. Neglexit ne Deus interitum sacerdotis à fratre? non arguit? non iudicauit? non damnauit? non affecit interfectorem vsque ad extremum vitæ, singultu & vehementissimo tremore? qui tam grauem damnationem sustinuit & sustinet, vt & viuens intolerabili supplicio addiceretur, & mortuus non potuerit à memoria hominũ remoueri. Propositus enim est omnibus seculis à principio mundi vsque ad consummationem, ad exemplum ignominiæ pariter & metus, alterum quidẽ propter audaciã cædis cõceptæ & patratæ, alterũ verò propter vltionẽ diuinæ iustitiæ. Vides quas pœnas sustinent, qui in catholicos sacerdotes se efferunt: & sacrificium quod piè & fide inuiolata Deo offerunt, respuunt, & aspernantur? Abraam post- *Gen. 4.

quàm insecutus est Allophylos,& eos in fugam vertit,dum rediret,accessit ad sacerdotem deditq; ei decimas*de exuuijs hostiam,benedictusq; est ab eo, ex cuius manibus panem etiam & vinum accepit. Quo exemplo & imagine docuit nos,oportere postquam vitiũ & vitij luem declinauerimus,virtuti operã dare,quod est cõsecrare omne nostrũ propositum Deo, qui sensus animę & corporis nostri perficit,& infirmitatem nostrã roborat aduersus inimicos,tum eos qui sub aspectu cadunt,tũ qui non cadunt-Hoc enim cùm facimus, benedicimur à Deo,& robur virtutis & scientiæ capimus. Præterea soror Mosis,*quia in Mosem murmurauit,affecta est lepra:& pro ea Moses deprecatur,& preces tamen,quæ omnia expediunt atq; efficiũt,nihil hìc valuerunt.Deinde Dathan *& Abiron, quia in Aaronẽ sacerdotem seditionẽ mouerunt,igne conflagrarunt. Et tãtæ multitudinis sacerdotum,quin potius ipsius sacerdotij & Ecclesię contemptum & contumelias Deus vltionũ non vindicabit?*Ne sis æmulator eorum,qui ab Ecclesia scissi sunt;neq; eorum,qui populum participatione sacramentorum prohibent;quoniam tanquam fenum velociter arescẽt.NIHIL enim peius, quàm sacerdotes contemnere,& ab Ecclesia peregrinari; nihil rursus vtilius, quàm perseuerare in Ecclesia; & cum fide certa & ab omni dubitatione aliena ad sacerdotes accedere.

*Gen. 14.

*Num. 12.

*Num. 16.

Quod quidẽ vt ita esse intelligas,audi etiã hanc historiam:Ozias *Rex iustus,& multis virtutib. ornatus ad extremũ desipuit,& expetiuit incẽdere thus, ac alienã dignitatem sacerdotibus auferre. Qui cùm sacerdos diceret,Non licet tibi ô Rex, vt adoleas in-

*2. Paral. 26.

censum

censum domino, sed potius sacerdotib. filijs Aaron, nō placuit reprehēsio, sed potius ea spreta, ingressus est in sacrariū, & adolevit incensum. Et statim frons eius affecta est lepra, quæ id quod cogitauerat, apertè redarguit, & eum, qui quod pertinebat ad ius sacerdotis, contra q̃ fas esset, attrectabat, pollutū esse ostēdit. Vides, quemadmodum qui erat mundus, factus est immundus, quia reprehensionem sacerdotis contempsit? & quia quod nō erat sui officij, ausus est? intellexisti quemadmodum ex contumelia in sacerdotium, per superbiā & contemptum lepra effloruit? Vide rursus, quemadmodum submissio & humilitas studiosè Ecclesiā frequentandi, & sacerdotium colendi, lepram depellit. Fertur in narrationibus patrū, vidisse laicum quendam suis oculis sacerdotem Ecclesiæ, quam frequētabat, in crimine adulterij deprehensum, adisse eum tamen fidenter, & absq; vlla dubitatione, cùm postero die sacrificaret, vt ex manibus eius sanctā Eucharistiā acciperet. Postq; verò accepisset, petisse ab eo, vt frontem, quam habebat leprosam, cruce signaret: quod cùm fecisset, lepram quidem tanq; squammā excidisse, frontem verò sanam & nitidam apparuisse. Res profectò stupenda, & diuini iudicij plena. Non fecit crimen gratiam vacuam, ne præberetur locus obtrectatiōi sacerdotum, & ne eos quiuis iudicaret, immò habuit gratia efficacitatem propter dignitatē sacerdotij: vt doceremur, cùm ad sacerdotes imus, nō ad homines, sed ad Deū nos ire, qui per eos nobis tribuit dona, nosq; sanctificat: & quod is, qui cū fide accedit, efficiatur voti cōpos: quodq; neq; vitiū sacerdotis alterius fidei noceat: neq; rursus sola vita sacerdotis nō credentē iuuet.

Sacerdos enim quatenus homo est, & infirmitate præditus, non potest iuuare, vt neq; tu rursus eum, qui sis pari infirmitate: homo enim homini prodesse non potest. At sacerdos sacerdotij dignitate præditus, gratiam sibi conciliat: siquidem donum Dei est sacerdotium, per gratiam verò efficitur Deo propinquior.

Oportet igitur te, quod tui muneris est & potestatis, afferre Deo, id est, obedire Ecclesiæ, & cum fide ad catholicos sacerdotes accedere: & per frequentationem Ecclesiæ, & per fidem rerum diuinarum, & per honorem erga sacerdotes, voluntatem erga Deum beneuolam ostendere: tunc Dei gratia, quæ propter dignitatem sacerdotij in sacerdote residet, cernens mētis tuæ fidem atq; animæ tuæ submissionē, ac probans præparationem cordis tui propter coniunctionum voluntatis tuæ, ingreditur ad te per ea, quę recitat, & quæ donat tibi sacerdos: præstatq; omnia promissa, quæcunq; animæ tuæ conducunt. Dic quæso, quis dedit sacerdoti sacerdotij gratiā, tune, an Deus? Si tuū munus est, meritò sacerdotem iudicas: sin verò mun⁹ Dei est, quid tu alienū seruū* iudicas? domino suo stat, aut cadit. Si sacerdotem deuitas, quòd de dogmatibus fidei non rectè sentiat, incideritq; in hæresin, rectè facis, demonstra prius hoc, & laudo, & gratias agó. Tantisper verò dum hoc non demonstras, nihil eorum, quæ excusas, valet ad defendendam vanitatem superbi tui contemptus.

*Rom. 14.

O mirabilem religionem. Deus purus ac inuiolatus, dissimulatis interim peccatis, habitat in sacerdotibus, propter sacerdotij dignitatem, expectatq; vt accedāt homines ad eos, vt sanctitatem & vitam per


eos

eos hominibus tribuat, & ad vtilitatem hominum hactenus lapsus sacerdotum dissimulat, & homines peccatis obligati, propter desidiam sacerdotis, siue veram, siue suspectam, gratiam Dei à quo seruantur, declinant, domūq; eius fugiunt, ac Ecclesima, tanq; pollutas ædes, deserunt: & versantur in plateis in foris, in theatris, in circulis, in cauponis, & in reliquis omnibus prauis actibus. Et si quando aliquis in Deum pius percontetur eos, vbi sit Ecclesia, vbi locus sanctificationis: continuò zelum simulant, ac speciem diligētis studij erga religionem prę se ferunt: et tanquam feræ truculentæ in eum inuadunt, cupientes manibus suis corpus eius discerpere. PERHORRESCITE, qui mentē habetis: ingemiscite, qui rationis compotes estis: lamentamini, quib. est cor, flete qui misericordia & humanitate præditi estis, deprecamini dominum pro eis. Hoc autem à nobis fiet, si assiduè in Ecclesias conueniamus, & ab illo manè surgentes, tutelam nostram petamus: & illorum memoriam in nostris precationibus Deo adhibitis habeamus, cui gloria & imperium, cum Filio & Spiritu sancto, in secula seculorum.

A M E N.

Duorum librorum de Hierarchicis ordinationibus ministrorum Ecclesiæ,

F I N I S.



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE.

QVAE IN HIS LIBRIS DE SCRIPTVRA

uetere recitantur, sunt aut ex Hieronymi interpretatione aut ex uulgatâ lxx. aut ex utraq; simul.

Psalmo.

Iere-

INDEX

INDEX EORVM QVÆ IN HIS LIBRIS OBI-
ter obseruata sunt.

A.

D.

Electio

Hierar-

Macula

M.

N.

O.

P.

R.

S.

DILINGÆ EXCUDEbat Sebaldus Mayer.

Cum facultate Superiorum.

Errata sic corrigãntur.

FOl. 6.b versu penult. lege, Primum. 14.a. 11. sunt. 17. a. 6. μὴ γὰρ οἰκίας. 21. b. 7. carcere. 24. a. 15. vt sit aliquis. 26. a. 22. ministerij. 32. a. 30. dele, &. 46. a. 7. visibili. 47. a. 22. b. 17. in margine. 1. Tim. 4. 48. b. 11. Hierarcha. 49. b. 4. quæ ad ordinationem. 54. a. 9. qui. 63. a. 16. hierarchicè. 64. a. 17. at non. 65. a. 23. te cum. 68. b. vltimo, potestates. post fol. 70. restitue, 71. & post fol. 76. 77. 77. a. 11. intelligi. 84. a. 2. ordinis est totius potentialis. 103. a. vltimo, informatione. 118. b. 22. stadio. 120. b. 3. in margine, Iudicũ. 3. 121. b. 27. fortis. 123. a. 9. à Deo sicut prius. vers. 10. præficiuntur: Gedeon. post fol. 124. restitue 125. & post. 130. 131. fol. 134. b. 21. alicuius ministri, medius. 143. b. 9. Stulte. post. fol 143. restitue. 144. 147. b. 3. hostium. vers. 31. Cui. 148. b. 17. coniunctionem.